

*De Foelici et Infoelici Republica  
Ad Senatum Brugensem*

*Autore Francisco Goethalsio Brugensi  
Iurisconsulto, et in eodem Senatu advocate*

***Lovanii***

*Apud Iohannem Bogardum, sub Bibliis  
Aureis. Anno 1567  
Cum Gratia et Privilegio Regia Maiestatis.*

*Nihil hic liber quod suspectum fit continet,  
quare citra fidei aut religionis iactura excudi poterit.*

*ita attestor*

*Iacobus Pamelius  
s. Theo. L.*

*Francisci Goethalsii  
Gandensis in pugnam  
Minervae et Mercurii  
contententium et de palma  
carmen ad Lectorem.*

*Si licitum Christi sacrata elementa professo,  
Mercurii titulum et nomen memorare Minervae  
(Quod graviore litas Paulinus munere cavit)  
Scilicet imprimis, quae fabula fronte videtur,  
Appelativis sub vocibus aedita prodit, nae  
Ter magni Hermetis, tibi, pugnaque grandis Athinae  
Moechanicis fervens fremit artibus ipsa, sed ille  
Sermonis melior missu fora, lucraque captat.  
Hoc tibi certamen agnatus. Ganda oriundus  
Nobile Franciscus, colli eucolus a bonitate,  
Candide largitur lector, nitide inspiciendum:  
Nummeritam Pallas temere arroget inclita palmam.  
Urbibus in variis, alio quae more tenentur:  
Civibus, una, suis surgit subnixa secunde,  
Eque opera manuum census secat aera diurni,  
Dia quod insigni praescribit pagina iussu,  
Debeat alterius nihil ut sperare levamen,  
Laeta domi partis Sophiae per munia rebus.  
Maneque gratanter celeberrima templa salutatus,  
Ante(?)Piam solito quam dextram fasce fatiget.  
Altera, mercatus studiosa, negocia quaerit*

*[f A2v] Turbida, vecturas sonitum strepitumque forensem  
Vixque micante die cupidi noctuque tumultus,  
Insuper externae consorti. commoda turbae,  
Alta frequentantum densis per strata catervis.  
Faeta dolis fallens technis fallique dolosa  
Emporio fugiens, ac mercurialibus oris.  
Plus duce eo splendoris adest, luxus, simul auri,  
Delitiaequa epulis dapibusque extensius ampliae.  
Nil morer, haec cunctis ipsissima causa malorum.  
Illa sed ingenii mage viribus usa politi,  
Expedit indigenis quandam ac aliunde profectis  
Sobria quae dulcem componunt fercula vitam  
Quae dominum atque domum refouent, famulaque  
Insuper in gremio respirat abunde quietis cohorte.  
Litteralis studisque vacans solerter amoenis:  
Pallados exermis, clypeo non fulta, nec hasta,*

*Sed fragili calamo mundum stabilire potenter.  
Tutius et propriis contracta sub artibus audet  
Aspera in adversi discrimina sistere casus:  
Quam si praesidiis subnixa incerte alienis  
Ambigat, admissus sitne hostis habendus an hospes  
Nulla cano digni paeonia laude libelli,  
Res satis ipsa sonat seseque illustrat opella,  
Sanguine non tangar, ne mutua poscere fingar,  
Nec sinat id faciave author. Modo uterque peccamur  
Censor ut humanus sumas, relegasque benignus  
Atque probes geminae munus geniale Minervae.*

[f A3r] *Clarissimo, Integerrimoque Ordini  
Senatus Brugensis*

*Franciscus Goethalsius  
in eodem Senatu advocatus  
Salutem Dicit.*

*Posteaquam diu multumque mente agitaveram deberemne praesens opusculum in lucem edere, dehortabatur me difficultas materiae tam arduae et inusitatae, ideoque satius esse duxi, ut quod mihi soli peperam, supprimerem ne publico examini subiiceretur. Contra*

*suadebat ratio aedendum esse et quia difficillimum est omnibus placere, si quibusdam bonis minus placeret, apud eosdem, saltem propter operis utilitatem et difficultatem, iustum veniam authorem meriturum. Difficile enim in ius commentari, quae ab aliis inventa sunt augere scripta aliorum in aliam linguam aut compendium transferre et redigere, sed his longe difficilius nova scribere et a nemine antea tractata, qualis est nostra materia. Demum accessit his rationibus quod mirari quosdam [f A3v] intelligebam, cur cum homo politicus essem, tam raro in foro, coetu hominum, aut aliis locis publicis versarer, quibus ne "misanthrópos viderer", volui aliquatenus satisfacere & demonstrare non me sedere desidem domi, sed cum per advocationes licet, consulere societati publicae et posteritati, ex innato mihi in patriam amore, et benevolentia in vestram Rempublicam. Unde inter alias nostras lucubratiunculas tum in iure, tum in quibusdam vulgo ignotis artibus (e quibus nonnullas si aederentur, absit verba arrogantia, scio ob raritatem et rei veritatem plerisque admirationi futuras) relictis aliis, successivis horis, quantum per frequentes advocatinum occupationes licuit, aggressus potius hanc materiam: disponere suo loco, amplificare et ordinare pro viribus coepi. Quam quidem lucubratiunculam ita utcumque elaboratam, statui nemini potius inscribendam ac dicandam quam amplissimo vestro ordini, partim ut singulare animi mei in vestram celsitudinem necnon vestram Rempublicam studium, et gratitudinem acceptorem beneficiorum significacione aliqua testarer, partim quod titulus ipse operis et subiecta materia (quae sunt de foelici et infoelici Republica [f A4 v] suadabant legum administratoribus et regendae Reipublicae praefectis eiusdemque conservatoribus hoc opusculum consecrandum esse. Sperans eo magis vos permissuros adiuncta dedicatione vestrae amplitudini hoc in publicum prodire, quod post has primitias, si grato animo excipientur, opera quaedam maiora apud me nunc nata, nondum incidi redditia, proxima foetura licentius aederem, tum etiam ut sempiternum*

*quoddam extaret vestrae istius in cives "filomousos kai filopolitas" benevolentiae et benignitatis symbolum, ut posteri agnoscant Senatum rerum fortiter et praecclare gestarum laudi et splendori amorem quoque in literas maxime rarum adiunxisse.*

*Datum die 27. Augustus. An. 1566*

### *Lectori de operis utilitate*

*Quisquis es, sincere lector, qui praesens hoc opusculum dignaberis lectione, putavi te admonendum, hinc constitui posse foelicem Rempublicam, qualem Plato, qualem Lycurgus, qualem philosophi descripserunt et optavere. Deinde hoc te utilitatis consecuturum, quod omnium fere, quae apud Platonem praesertim in libris de republica et legibus, necnon multis locis in iure humano pariter et divino, obscure continentur rationes facile intelliges, perceptis principiis et demonstrationibus hoc opusculo comprehensis, quas si diversi scriptores, nescio ignorantia an invidia ducti, posteris ita aperte reliquissent, multa paterent quae nunc multos latent, siquidem habita et intellecta regula quae infinita in uno continet, intellegitur quicquid in eiusdem materiae uspiam sparsum est. Certe hoc sentio cur iurisprudentia, pree ceteris artibus tam sit obscura in causa esse praecipue, quod iurisperati eam consule et sine methodo tractarint nec in artem redegerint, nam vel ex allegationibus huic operi insertis, colligi potest Iuriscon [f A5r] et Imperatores sua responsa et constitutiones fundasse in principiis quibusdam naturae, quapropter sine his ius commode intelligi non potest. Similis causa est cur tam sit occulta et a paucis intellecta ars chimica vel potius transformationis metallorum (quae a quibusdam propter abusum multorum ludibrio habetur) quod videlicet prolixe, confuse, sine ordine et obscurissime data opera a philosophis tradita sit, ut nec percipi nec teneri memoria possit: est enim thesaurus inaestimabilis quem putarunt non omnibus credendum esse, sed solis philosophis qui principia possent eruere. Ut igitur ad rem redeam, habent hic doctissimi quod eos delectet, mediocres utilissimas theorias quae indisciplinis capessendis poterunt esse usui, infimi quod eos ad scientiae studium accendat. Quisquis itaque haec legis, eo quo scribuntur candore excipias, & authori bene precare. Vale.*

[f 1 r]

### *De Foelici et Infoelici Republica*

*Iamdudum meditanti ex quibus possint urbes laudari, et quibus causis aliis admirationi sint, quinque fere occurrerunt eius generis loci. Magnitudo scilicet, Situs et Aedificia, Vetustas, Libertas, Instituta. Vix enim fit, ut praeter has, aliquibus de causis urbes celebrentur. Sed paulo altius singula membra*

*quasi praefationis vice attingemus, vel praeludemus instar chori ante certamen ut sic commodius ad propositum deveniatur. Magnitudine itaque celebrari Babyloniam quam Semiramis regina condidit<sup>a</sup>, et non solum magnitudine, sed situ et structuris, adeo ut his de causis merita sit numerari inter septem orbis spectacula, notum est ex historiis. Fertur itidem dignissimas admirandas 1v]tione fuisse in omni terrarum orbe Thebas urbem Aegypti, magnitudine, moenibus et aedificiis quippe quae centum habebat portas mirabili quodam artificio distinctas. Rursus magnitudine et situ laudatur Memphis, urbs Aegypti regia et populosa, quae hodie dicitur Alcairum, quam reges fere omnes relicitis Thebis sibi regiam delegerunt<sup>b</sup>. Secundum membrum erat situs, hic et securitatem et decorum exigit. De securitate exemplo sunt commemoratae iam civitates, quas modo ob situm laudari diximus, quibus addemus adhuc unam clarissimam videlicet Aisae urbem Cyzicum; quae arce moenibus, portu, turribusque marmoreis Asiaticae plagae littora illustrabat et muniebat. Quantum ad decorum attinet, qui ubertatem agrorum amoenitatem coeli salubritatem fruvios, fontes et id genus alia comprehendit, laudibus evehuntur inter alia potestissimum, Athenae, Caieta, Insulae Fortunatae<sup>c</sup> et Thessala Tempe: quibus nunc Italia magnificentissimis suis extractis urbibus superbens, minime cederet. Caeterum vetustate commendatur Ioppe oppidum antiquissimum toto orbe terrarum, utpote ante inundationem terrarum conditum<sup>d</sup>. Treverensis quoque [f 2r] civitas omnium civitatum et regnorum totius Europae antiquissima, fundata octavo anno nativitatis Abrahae, a Trebeta filio Nini, antiquitate celebris est<sup>e</sup>. Huius generis sunt et Thebae, de quibus modo egimus, conditae tempore Isidis, itaque civitatum omnium antiquissimae<sup>f</sup>. Idem dici potest de Babylonia, quae anno 131 a salute ab aquis prima fuit omnium gentium et civitatum, si non tempore, saltem dignitate aedificii et libidine dominandi, fundata a Nimbroto primo Saturno sive rege Babiloniae<sup>g</sup>. Magonciacum in Germania esse civitatem vetustissimam, ostendunt quae reperiuntur vetustatis monumenta<sup>h</sup>, eoque nomine habetur insignis. Sed quid magnitudo, situs et vetustas si cum libertate (qui quartus erat locus conferatur<sup>i</sup>: homines enim natura libertati student, et conditionem servitutis oderunt, licet enim vera et christiana libertas sit, esse imunem a vitiis nec servire peccatis, est tamen et alia legitima nimis libertas, res inestimabilis. Merito igitur hac ratione civitas vel regio celebratur, scilicet quod non pendeat ex arbitrio superioris qui imperet, qui ei iniungat facienda, aut constituta revocet et rescindat. Tales sunt Venetiae, Veneti enim praetendunt libertatem, nec agnoscent [f 2v] superiorem. Hoc autem praestat haec libertas, quod ei*

---

<sup>a</sup> Iustinus *Historiae* liber 1 circa principium

<sup>b</sup> Diodorus Siculus liber 2

<sup>c</sup>nunc magna canaria dictae Amerigi Vespucci navia

<sup>d</sup> Solinus in *Polyhistor* c.37 et Plinius *Naturalis Historia* caput 14

<sup>e</sup>Iordanus in *chronicon*

<sup>f</sup> Diodorus Siculus liber 1 caput 2 liber 2 caput 1.

<sup>g</sup>Berosius liber 4

<sup>h</sup>Monster de Germania

*proprium est, plenam scilicet potestatem vivendi ut velis, ut externorum principum placitis minime alligeris, denique ut nihil tibi obstet quo minus vivas ut velis, nisi sola vis cui contraria vi resisti potest. Huiusmodi tamen regio non est soluta legibus, valent enim ad hoc leges (quae sunt anima civitatis) ut in pace vivatur, sed hoc sic accipiendum est, huiusmodi regionem ipsam sibi ex plena et absoluta potestate, omnigeni generis leges statuere posse pro subditorum qualitate, natura et exigentia temporis, posse creare magistratus, bellum movere, pacem facere, civitates cingere muris, liberum esse a tributis et exactiōibus, nova vectigalia<sup>j</sup> (quae secundum Ciceronem<sup>k</sup> nervi sunt civitatis) indicere ex causa pro libito, eademque cum placuerit, abrogare et derogare posse. Quae sola causa, immunitas scilicet a praedictis oneribus et realibus (praetereo exaltationem, ex qua plura incommoda tam subditis, quibus pecunia exhaustur tributis, quam saepe ipsi principi, ad quem, omnibus diductis, minima portio pervenit) sufficit ad ditandam regionem. Refert pulchrum exemplum Theophilus<sup>l</sup>: Olim, inquit, Atheniensium civi-[f 3r]tas,*

*quae propter sterilem terram annonae caritate premebatur, illi malo finem quaerens, lege lata constituit, ut negotiatores omnes frumentarii ad navigaturi Athenas immunitate vectigalium gauderent, quod cum fama passim dissudisset, plurimi Athenas appulerunt, duo haec studentes, ut propter frumenti inopiam statim et sine mora taedio venderent, et nullum insuper eius negociationis nomine, vectigal penderent. Sufficit hoc exemplum, addam et rationem hanc, quod, praeter id quod vectigalis, vel portorii causa pensitandum est, saepe improbitas vel vexatio eorum qui exercent et exigunt, extero magni redimenda sit, quid enim faciet in terra peregrina, dicam scribet? non poterit id sine mora, iactura rei suae et iugi diligentia in consulendis advocatis, procuratoribus, sectando iudice, quibus omnibus animo examinatis mavult, et quidem consulte, vir bonus portiori rapaci obsecundare, quam cum eo contentiose iurgare. Olim quaedam civitates tam in Germania quam in Italia (quia a fonte libertatis manat quicquid est commodi) hanc magna auri pecuniaeque vi compararunt, a diversis Imperatoribus, et ab obedientia imperii liberae redditae sunt. Ob liberta-[f 3v]tem quidam populi vehementer dimicarunt cum dominis quorum erant in ditione. Denique nos bene nobiscum actum putamus, si vel speciem aut umbram tantum libertatis habeamus. Gloriantur Brugae nec immerito de privilegio saepius sibi confirmato quod civis Brugensis eiusque bona per omnem fere ditionem Flandriae a portoriis et vectigalibus libera sint. Itaque nemini dubium esse potest, quanti momenti sit libertas de qua hic egimus. Non quod censem civitates principibus aut regno subiectas, posse illud iug\_m, ut vocant, excutere et impune ad libertatem proclamare. His enim non competit ius libertatis legitimae, de qua modo locuti sumus, sed si quae ad libertatem aspirant, illgitime eas facere et contra naturam niti: tum quod fidem datam fallant (at nihil*

---

<sup>i</sup>Julius Caesar liber 3 De Bello Gallico

<sup>j</sup>ontbreekt

<sup>k</sup>Pro Lege Manilia

<sup>l</sup>ad titulum. de mr. na. gen etc Instit.

contra naturam atque fidem frangere et pacta violare) tum quod iure haereditario Principem Regemve privare student, quae huiusmodi libertatem ambient. De hac igitur pluribus frustra, cum eam nobis natura negarit. Postremum ac verisimum quo celebrantur civitates, si quis vere rem aestimare velit, sunt instituta sive mor\_m disciplina. Siquidem non aedes superbae, non alti muri, urbem praecaram faciunt, sed [f 4r] homines fortes praestantes ac virtutis cultores. Ideo laudatur Sparta inter egregias civitates prima, quae tamen nullis moenibus circundabatur, et qua aedibus quoque nulla non pulchrior. Ed apud Plautum <sup>m</sup>(recte inquit quidam) si incolae bene sunt morati, oppidum pulchre munitum abitror. Sed istud membrum latissime patet, quot enim sunt virtutis species, totidem modis civitas in qua dominatur aliqua virtus, foelix dici potest, loquendo ut vulgus loquitur, nam si vere et philosophice agendum est, dicimus cum Cicerone<sup>n</sup>, virtutes non posse seiungi, et qui unam habet, omnes habere virtutes. Si ergo ad communem opinionem oratio accommodetur, celebris est illa civitas et in ore hominum in qua regnat iustitia, saltem ubi ea strenue a magistratu exercetur, ubi ius redditur tam exteris quam indigenis tum recte, tum perbrevi sine cunctatione et taedio (?). Quae quidem tanti sunt ponderis quod quaedam civitates et Curiae vel hoc solo nomine male audiant, quod et aliquando minus circumspecte et tardius (cum is qui parti litiganti venit codemandus lite finita, sed nondum decisa nec pronunciata sententia, factus est non solvendo aut solum vertit) ius [f 4v] dicatur. Rursus commendatur civitas ob sacra religionemque nam quemadmodum constituendae republicae singulare praesidium est Religio, ita et Rempublicam iam constitutam, retinendae in officio. Ideoque hac usum ferunt<sup>p</sup> Numam Pompilium Pontificem Maximum Romanorum ut populum ferocem Romuli imperio, adhibita religione, ad meliorem cultum redigeret, deposita pristina saevitia et incivilitate. Sciebat enim, nulla disciplina, nulla arte, sed sola religione, quae nos Deo immortali amicos reddit et vincit et in republica autoritatem conciliat, populum effrenem potuisse domari. Simile fecit Lycurgus in sua repubica<sup>q</sup>. Idem quoque Minos<sup>q</sup>, qui regnans in Gnosso ingenti urbe, Iovis consuetudine ac colloquio novem annis se finxit et persuasit uti. Huc etiam pertinent studia humanitatis et gymnasia literaria, ob quae et olim et nunc floruere et summis laudibus evecta fuerunt diversa oppida, imprimis Athenae, Alexandria Aegpti academia, quae habuit scholas omnium disiplinarium liberalium. Massilia, in qua studia ingenuarum doctrinarum adeo floruerunt, ut Romani pro Attica peregrinatione Massilioticum peterunt gymnasium [f 5r] ad disciplinas capessendas. Nunc memoratur Lutetia in Francia, Bononia et Patavium in Italia, Lovanium in inferiore Germania. Et quanquam omnes hi modi, foelicitatis, comprehendantur sub membro institutorum, sunt tamen et alia, quae eodem pertinent, artes scilicet omnes, et inter eas

---

<sup>m</sup>In Persa

<sup>n</sup>liber 2 De Oficiis

<sup>o</sup>Livius historia Ab Urbe Condita liber 1

<sup>p</sup>Pausanias liber 3

<sup>q</sup>Plato in Minoe vel de Lege. Tacitus Annales liber 3

*moechanicae, quae magis corporis exercitio aut industria, quam animo meditatione addiscuntur et administrantur, de quibus noster iam iam erit sermo, ne in eo quod attingendum fuit, quam in eo cuius causa id attigimus longior ponatur oratio, quanquam si cum magnitudine utilitatis comparetur, venia dabitur, fortasse etiam brevior videbitur.*

*Principio igitur ut ad institutum veniam, loquemur hic de ea Republica quae foelix est ac beata. Talis est Republica quae potissimum nititur opificibus, qui artes moechanicas exercent quae in operis manuum sive manufacture praecipue consistunt, talis, inquam, Respublica, quae sua vi subnixa stans non habeat quaerere aliunde unde consistat, nec copia mercatorum maxime externorum egeat ut sit, sed quam ipsimet mercatores ultro consequentur, et ad quam [f 5v] sponte velis remisque currant, gratia comparandi et evehendi opera, quae in huiusmodi civitate civibus ipsis supersint. Contra infoelix ac minus absoluta respublica, cuius praecipuum firmamentum est in externo mercatore. Haec sic intelligas velim, non ex solis moechanicis artificibus Rempublicam vel constitui vel constitutam servari posse. Nam ut in corpore humano diversa sunt officia, membris distinctis addicta<sup>r</sup>, ita et in republica diversa sunt munia quae quisque exequitur, hic officium iudicis agit, ille advocati, alius apparitoris, alius opificis, alius mercatoris, et sic deinceps. Sed respublica iam foeliciter constituta: alia eiusdem membra aliis sunt magis necessaria, magisque absoluta, digniora, diuturniora, et perfectiora. Conferemus ergo opifices cum mercatoribus solet enim rerum similitudine veritas maxime elucescere, et quia tantum de his duobus hic proposuimus loqui. Nam cum multitudo quae in una moenia convenit, quadrifariam fere dividatur, ut primus ordo sit magistratus, nobilium et antiquorum civium qui ex annuis redditibus suis vivunt: secundus agricolarum, tertius opificum: et quartus mercatores complectatur, omissis duobus membris [f 6r] prioribus, de quibus alias, tantum agemus de opificibus et mercatoribus et primum utri magis necessarii sint Reipublicae. At hic statim mirabitur quispiam quae sit haec comparatio, cum Cicero dixerit<sup>s</sup> opifices omnes in sordida arte versari, nec quicquam ingenuum habere officinam, et moechanicas fabrilesque artes, licet civitati necessarias, esse tamen contemptibiles. Contra, inquiet, mercatura vitae genus est, et exercitium non illiberale nec inutile reipublicae, modo fraus absit et avaritia; Christum enim ab hoc hominum genere sumpsisse similitudinem<sup>t</sup>, quando iussit exerceri talentum acceptum ut fieret fructuosum, multos quoque rem suam non infoeliciter auxisse, qui ea caute diligenterque usi sunt. Sed ne quis in limine hic haesitet, diluenda fuit nobis ante omnia haec obiectio, simulque describendi opifices nostri, et ab inutilibus distinguendi, similiter facturi de mercatoribus. Non est ergo quod mireris, o bone, Ciceronem parvipendentem eos qui ergasterio operantur, mercesque venales quaestus quotidiani causa ostentant, loquitur enim ipse de populo Romano, qui fabriles et operosas artes propter excelsam*

---

<sup>r</sup>c.12.ex.de haeret. (noot wordt in de tekst niet aangegeven)

<sup>s</sup>I. De Officiis Xenophon in Ocean.

<sup>t</sup>Mattheus 25

atque exaggeratam quandam ani<sup>u</sup>[f 6v]mi magnitudinem maiestate sua indignas iudicabat, easque, ut quidam author est<sup>v</sup>, <sup>w</sup>ad servos fere ac infimam plebem relegabat. Semper enim, ut testatur Cicero<sup>x</sup> populus Romanus appetens gloriae prater caeteras gentes atque avidus laudis fuit. Simile fere posset dici de Hispanis potissimum Lusitanis<sup>y</sup>, qui ob magnitudinem animi, provenientem ex calliditate cerebri, magis bello, quam aratro vel opificio nati videntur. Romani ergo ut ad eos redeam, perpetuo imperii propagationem somniabant, bella aspirabant, cogitabant stratagemata, artes et fraudes quibus hostes debellarent. In his nihil intentatum reliquere. Et post haec, sua studia ad hoc contulerunt, ut legibus optimis undique emendicatis respublica muniretur. Nam, teste Sallustio<sup>z</sup>, Romanis non obstabat superbia quominus aliena instituta, si proba erat imitarentur<sup>aa</sup>, ideoque leges ab Atheniensibus et Lacedaemoniis<sup>bb</sup>, arma atque tela militaria a Samnitibus, pleraque insignia magistratum a Tuscis<sup>cc</sup>, sumpserunt. Postremo quicquid ubique apud socios aut hostes idoneum videbatur, cum summo studio domi exequebantur. His adde Romanos addictissimos fuisse venationes studio, apud quos illa [f 7r] usque adeo invaluit, ut feras ab extremis Asiae et Africae et Europae finibus in urbem accenserent, ut caedibus ferarum immanium assueti, minus hominum cruentum et vulnera perhorrescerent, si cum hostibus dimicandum esset<sup>dd</sup>, deinde etiam quia venatio, ut docet Xenophon<sup>ee</sup>, aliis et multis rationibus, utiles homines bello, et laborum militiae patientes reddit. In his ergo Romani omnem suam operam collocantes, his studentes, non ita magni fecere "mèchanikè alioqui" necessariam.

Nos opifices qui ea quae nobis usui sunt, parant, et sine quibus minus commode vivitur, vel qui urbem diversis ornamentis illustriorem reddunt et cultiorem, non sordidos vocamus, imo inter honestos cives censemus. Quorum singula genera et capita, superfluum esset hoc loco commemorare, cum eadem satis in singulis rebus publicis nota sint, describanturque ab Aristotele<sup>ff</sup>, et aliquot enumerentur iure scripto<sup>gg</sup>. Sed sordidi quaestus opifices, et voluptatum ministros, qui Veneris et gulae irritamenta parant, tabernarios<sup>hh</sup>, et sollicitatores alienarum nuptiarum<sup>ii</sup> non modo non admittendos in nostra foelici

<sup>u</sup>ontbreekt

<sup>v</sup>Dionys.

<sup>w</sup>ontbreekt

<sup>x</sup>Cicero in Oratio pro lege Manilia

<sup>y</sup>Nicol. Clenar. in epistolam 2 ad Latom.

<sup>z</sup>In Bello Catilinarium

<sup>aa</sup> Diodorus Siculus liber 6 caput 9

<sup>bb</sup> et nō. inst.de nage. et civi. et liber 2 ff de orig. Iur.

<sup>cc</sup>Livius liber 1 Ab Urbe Condita

<sup>dd</sup>Plinius, Suetonius, Spartan. Lamp. & alii

<sup>ee</sup>Liber de Venatio & de republica Lacedem.

<sup>ff</sup> I Politika

<sup>gg</sup>toto tit. de excus. ar. Co li. 10 & l.6.ff de iure imp.

<sup>hh</sup>de his in l. humi le. C. de in cest. nupt.

<sup>ii</sup>de his in l.j ff de ext. crimi

*Republica, sed etiam procul ablegandos cum [f 7v] Lycurgo Platone censemus, hi enim omnes pluribus obsunt, prosunt nemini. Leves et ludicras artes etiam qui exercent<sup>ijkk</sup>, et ex quibus nihil commodi prove-  
nit, aliquando etiam multum mali, quales sunt hi qui conficiunt ea quae nec per se nec admixta aliis humano generi possunt esse utilia, ut venena<sup>ll</sup>: item circumforanei chirurgi, morbi gallici curatores, qui se populo admirandis experimentis praeclaros venditant, deinde saccularii<sup>mm</sup>, circuratores<sup>nn</sup> et praestigiatores, veteratores omnes fallacissimi, qui nihil habent quam lingua expedita vel singulari digitorum mobilitate et agilitate excellant: his adde funambulos saltatores et histriones<sup>oo</sup>, in quos populus stupidus animu occupat, et alii qui mortalibus admirationi sunt. Hos, inquam, omnes nec opificum nomine nec honore dignamur, sed eos solum, qui honestis, utilibus, et ad honestam voluptatem compositis artificiis occupantur, liberales putamus<sup>pp</sup>. Et qui inter hos non tantum opera, sed etiam ingenio et illustriore aliqua arte et inventione clarent (est enim inter opifices longa differentia<sup>qq</sup> dignos censemus, in quos aliqua dignitas conferatur<sup>rr</sup> quia non modo se et familiam suam [f 8r] clariorem reddunt, verum urbem illustrem unde oriundi sunt, et in qua honestas suas excogitatas inventiones aut artes (in quibus ingenium et natura dominantur concurruntque) exercent. Sed sordidi et inutiles illi, et his similes qui nec sibi nec aliis utiles sunt, imo fraude et iniuria moliuntur aliorum parta consumere, hi Deo invisi: ut fuci ab apibus arceantur, et a civibus eiificantur, "hoosper etosion achthos arourès". Si haec tibi non sufficiunt, sed pergis adhuc vocare sordidos artifices, quod iugi industria ac contemptibili labore, opera sua fabricentur ac conficiant. Sic habe, non magis contemptibilem esse eo rem laborem atque est medici, quem tamen nemo non suscipit et admiratur. Nam, ut ait, insignis ille medicus Cardanus loquens de arte medica<sup>ss</sup>. Ars medica si quae alia (gloria quae illam comitatur excepta) tota servilis est et plena laboribus, et ut vere fatear, inquit, ingenuo viro indigna, ut non mirer olim servorum fuisse hoc exercitium, haec tamen est necessaria, quo circa medicos, quantumvis medicina innumeris obiecta sit periculis et servilibus laboribus, homines honore prosequuntur et laudibus evehunt. Nonne "mèchanikè" aeque aut magis necessaria, utpote [f 8v] sine qua humanum genus statim post lapsum primi parentis non potuerit consistere? Unde non minus industrius aut illustris opifex comendandus est ac celebrandus. Sed nihil mirum, huiusmodi scrupulos quibusdam iniici, cum similis error multos invaserit de agricolis, quos contemnunt tanquam servos et ad perpetuum laborem addictos, de quibus*

<sup>ij</sup>ontbreekt

<sup>kk</sup> de his in l. *athletas*, ff ex qui ca. inf. ir. rog

<sup>ll</sup> de his in ... quod saepe, \* ven. ff de entr. emp. & l.4 \* mala. famil. ff ercis.

<sup>mm</sup> l. *sacul* ff de ext. crimi

<sup>nn</sup> l. si ff de ext. crimi.

<sup>oo</sup> de his in d.l *humilem*.

<sup>pp</sup> l 6 liber 12 de dignit. *Distinctio inter utiles opifices*

<sup>qq</sup> l 3 ff. de ?

<sup>rr</sup> l 5 cos

<sup>ss</sup> *Liber de li proprius*

*sani iudicii homines longe secus sentiunt. Cicero<sup>tt</sup> enim non est veritus dicere agriculturam solam esse, cui ingenui excellentesque viri manus admovere debeant, siquidem ea nihil uberior, nihil dulcior, praferens eam mercaturaem, nec tam absurde, cum ea sola nobis alimenta et vestitum praebeat, sine quibus corpus ali non potest. Sed quid tam anxie perscrutamur obiectiōnē de sordidis opificib⁹, cum eadem ratione qua Cicero<sup>uu</sup> sordidos opifices vocat, idem author et sordidos mercatores et sordidam mercatura appellari Mercatura, inquiens, si tenuis est, sordida putanda est. Et idem rursus. Sordidi, inquit, mercatores putandi sunt, qui a mercatoribus mercantur quod statim vendant, nihil enim proficiunt, nisi admodum mentiantur, nec enim quicquam est turpius vanitate. His similis sunt propolae et Dardanarii, [f 9r] quibus nostro malo didicimus monstrante rei experientia, rebus publicis nihil esse perniciosius, his inquam, qui circumeunt pagos et loca non ita dissita longe a civitatibus, et ibidem a rusticis praeemunt minoris, butyrum, caseum, pecudes, aliaque homines ad vivendum necessaria, ut eadem mox carius in civitatibus vendant, ea sola arte victum parantes, hi revera sordidissimi, ac ne mercatores quidem nuncupandi, cum studeant turpissimo foenori cum Reipublicae damno.<sup>vww</sup> Quare vos publico proclamante singulis annis obviam itis horum improbitati et avaritiae, quam et Carolus Caesar piae memoriae Caesarea constitutione coercuit, quamque nec leges scriptae<sup>xx</sup> inultam sinunt. Siquidem hoc praestant incommodi, praeter alia, quod carius vendant, quam ipse agricola venditur erat. His de causis in Italia coguntur rustici et piscatores ex antiqua observatione invehere, victum in urbes, ibidemque vendere, et non nisi minutim, saltem usque ad certam horam, sed campanula dante signum licet etiam propolis in maxima quantitate emere. Cui non dissimile in vestra respublica summa cum laude observatur. Admittuntur ergo hodie propolae, sed adhibito moderamine ac praescripto eis modo [f 9v] Quamquam nec sic omnes quidem indifferenter admitti deberent ut propolae, si cum Socrate<sup>yy</sup> loquimur, sed dutaxat hi qui adeo imbecilles corpore et invalidi sunt, ut aliud vitae genus minime tractare possint. Legi epistolam Adriani Imperatoris in qua laudat Alexandriam Aegypti civitatem opulentam et divitem, quod in ea nemo viveret ociosus, sed omnia opificia florarent, podagrosi quod agant, haberent: caeci quod agant, haberent: et ne chiragrici quidem apud eos ociosi viverent. Redeo ad propolas, quibus non dissimiles sunt illi mercatores, qui totum granum, vel omnes merces unius alicuius generis in universum coemunt, vel etiam ad tempus supprimunt, ut ipsi soli his abundantes, dum alii huiusmodi mercibus carent, vendant postea quantumlibet in aestimabili reipublicae damno, quorum avaritiae aliquando quoque constitutionibus publicis occurritur, praesertim difficilibus temporibus. Sed quid de his mercatoribus, dicat Hesiodus, si revivisceret, nimirum quod*

---

<sup>tt</sup>I Officiis et Xenophon in Oecono.

<sup>uu</sup>? De Officiis circ. fi.

<sup>vv</sup>ontbreekt

<sup>ww</sup>ontbreekt

<sup>xx</sup>I. anno: ff de extr. crimin.

Persae fratri rescripsit<sup>zz</sup>. "Nèpioi ouden isasin husoo pleon hèmisupantos". Nam vulgare est proverbium, male parta, male dilabi. Ideoque Hesiodus monet. "Mè kaka kerda inein, kaka kerdea istatèsin"<sup>aaa</sup>. [f 10r] Quas sententias, quia tam divinae admirandae et tam multis cognitae sunt, quam a paucis observatae, hoc loco non absurde adiunxi. Tum etiam ut demonstrarem, praedictos mercatores nec sibi nec aliis utiles esse: Ideoque Deo invisos, et a foelici republica procul abigendos, nos secus quam inutiles illos, de quibus memineramus, opifices. Sed ut accuratius mercatorum genera distinguantur, quod modo coeperimus facere, sciendum est veteres foelici Republica prohibuisse illos mercatores, qui inferebant vina et reliquas res, ad superbiam aut meram luxuriam pertinentes, quales sunt fuci ad comedendum et ornandum inventi, et aromata vel species ut vocant. Nec immerito, quia his rebus animi civium ubi haec advehuntur, relanguescunt et virtus eorum frangitur. Quapropter Lycurgus sic cives suos Spartanes erudiit, ut apud eos illecebrae, fuci, aromata cum similibus quae magis ad ostentationem quam necessitatem pertinent quaeque libidinum et gulæ sunt irritamenta, ignominia essent et probro. Animi enim magnitudinem parit frugalitas, contra mollitatem ignaviam et malorum agmen secum luxus trahit. Posteaquam Annibal exercitus campano vino [f 10v] madere coepit et scortis indulgere, de eius bellica virtute actum est. Quod et Phalaris tyrannus intelligens Leontinos, populum Siciliae antea a se expugnatos, ademptis armis ad computationes et voluptates reiecit, ut nequaquam rebellionem pararent. Hinc natum proverbium, Leontini semper iuxta pocula. Milesii, cum prius potentes essent et opulenti, delitiis dediti, et opes et potentiam amiserunt, unde adagium. Olim fortis Milesii. Histros, cum Cnei Manlii castra coepissent, opimaeque praedae incubarent, epulantes ac ludibundos, plerosque etiam ubi essent prae potu nescientes, Appius pulcher invasit, sic cum sanguine et spiritu, male partam victoriam evomere<sup>bbb</sup>. Iulius Caesar, Belgas inter Gallos fortissimos iudicat<sup>ccc</sup> hac ratione quod a cultu et humanitate provinciae Narbonensis longissime abessent, minimeque ad eos mercatores saepe commearent, atque ea quae ad effoeminandos animos pertinent, importarent. Quae autem illa essent Idem Caesar<sup>ddd</sup> postea interpretatur, describens naturam et mores Nerviorum (quos hodie Tornacenses vocant) narratque reperisse se nullum aditum esse ad eos mercatoribus, nihil pati vini reliquarumque rerum ad luxuriam [f 11r] pertinentium inferri, quod his rebus relanguescere animos eorumque remitti virtutem, existimarent. Sardanapalus rex Assyriorum, in fugam coniectis Babylonis quibus praeerat Belesus socius et confoederatus Arbaci Medi ducis Assyriorum, ad hilaritatem profusus, epulum militibus ex sacris, vinumque abunde praebuit, aliaque epulo accommodata. His intentis Assyriis militibus Sardanapali, Arbaces qui per transfugas, hostium in castris negligentiam, ut qui vino ciboque

---

<sup>yy</sup>? de republ.

<sup>zz</sup>erga kai hemerai

<sup>aaa</sup>eodem opere

<sup>bbb</sup>Lucius Florus in epith. gesta romanorum(?)

<sup>ccc</sup>liber 1 de Bello Gallico

gravati, somno quietique indulgebant, norat, noctu castra hostium expugnavit. Acie instructi incompositos, imparati paratos aborti, multis interfectis reliquos in urbem compulere, et hac victoria Imperium Assyriorum ad Medos translatum est<sup>eee</sup>. Caeterum non tantum mercatoribus vinum inferentibus et aromata, aditus denegandus est, sed et iis, qui gemmas et lapides, aurum et inutile summi materiam mali, vel unguenta quoque importarent. Quamobrem Iulii Caesaris et Publpii Crassi censura edictum fuit anno urbis condita 565, ne quis unguenta inveheret peregrina. Sed postmodum vicerunt vitia et Senatui placuere odorum delitiae, cum antea virtute veterum ab illis [f 11v] vitiorum illecebris exempti essent<sup>fff</sup>. Refert Tacitus<sup>ggg</sup> cum multa in luxum civitatis dicta essent a Q. Haterio consulari Octavio Frontone praetura functo: decretum fuisse ne vasa auro solida ministrandis cibis fierent. Et ne vestis serica viros foedaret. Causa autem prohibitionis huius fuit iustissima, tum quod aurum et huiusmodi vestes ad luxum pertinent, et cum maximi precii sint facile potentium substantiam exhaustiunt. Ideoque principum constitutionibus, auri, aut auri intexti vestibus, serici aut serici intincti, usus, privatis hominibus prohibitus est. Non alienum ab hoc loco est quod Cicero de Graecis prodi<sup>hhh</sup>. Phoenices, scilicet, primos mercaturis et mercibus suis avaritiam et magnificentiam et inexplebiles cupiditates omnium rerum exportasse in Graeciam. Et propterea Lycurgus, mercatores, huiusmodi res Sparta inferre passus non est. Et Isocrates regiis praeceptis regem erudiens, inter caetera optime docet, ut negotiat Reipublicae noxias prohibeat<sup>iiii</sup>. Similiter Plato<sup>kkk</sup> nulla peregrina voluit in rempublicam suam invehi, nisi essent necessaria quae regio non subministrabat, quemadmodum nec quicquam regioni necessarium, adduci potuit ut ex[f 12 r]porta portaretur. Sed de his satis. Habet enim altiorem quaestionem haec ad usum nostris temporibus adiungere, et commode executione mandare velle. Vides ergo quam vicina sint vitia inutilium opificium et inutilium mercatorum, ut non habeant alii p[ro]ae aliis de quo magnopere sese efferant. Inter opifices enim alii nec sibi nec aliis prosunt, inter mercatores similes diximus, reperiri, inter opifices sunt coqui, cupedinarii magistri gulae, unguentarii inter mercatores inveniuntur mangones, pigmentorum institores, et alii qui causa sunt cur animi aliorum effoeminentur, et proclives ferantur in omne genus mali. Sed distinctis iam opificibus vicissim ac mercatoribus utilibus ab inutilibus, puris ab impuris, extollet se longe clarior et evidentior inter hos comparatio. Eos ergo utiles, imo necessarios arbitror mercatores etiam in foelici republica, qui ex aliis regionibus praesertim longinquis et ultramarinis invehunt vel important multa, magna et copiosa, usui

---

<sup>ddd</sup> liber 2 de Bello Gallico

<sup>eee</sup> Diodorus Siculus liber 3 caput 7

<sup>fff</sup> Solyntus in poly. caput 48

<sup>ggg</sup> liber 2 Annales

<sup>hhh</sup> liber 3 de republica

<sup>ii</sup> ontbreekt

<sup>ij</sup> ontbreekt

<sup>kkk</sup> 8. de legibus

necessaria, vel utilia, ut eadem multis sine vanitate incolis vendant, et exportant ea, quibus iidem abundant, quaeve eorum effecta sunt operis<sup>III</sup>. Hi, inquam, mercatores in republica sunt necessarii. Nam [f 12v]cum non omnis ferat omnia tellus, sed singulari providentia Deus constituerit, ut alia alterius ope egeat, ad augendam inter humanum genus communionem et societatem civilem, necnon concordiae et amicitiae perpetuum vinculum inducendum, sit ut mercatores, quae in aliis regionibus supersunt, importent iis locis ubi his opus est, ut quemadmodum alimenta naturalia fere agricultor nobis suppeditat, sic negotiator reliqua necessaria, et inter alias materias rudes sine quibus opifices suum opus confidere non possent. Unde sit ut nunc temporis non minus sine mercatoribus quam sine agrorum cultoribus et opificibus civilis societas esse queat. Opifices vero quam sint necessarii, et quomodo sine his vita humana transigi nequeat<sup>mmm</sup>, clarius constat experientia. Quam ut probatione egeat, et qui haec ignorat in media luce caecus ambulat. Quis enim cui non perspicua sunt illa, quae de artium necessitate Aristophanes in Pluto satis exhibuit, et quae Cicero<sup>nnn</sup> admiratur de artium multitudine, quem locum quia eximius est, subnectam. Nam quid enumerem, inquit, artium multitudinem, sine quibus vita hominum omnino nulla esse potuisset, quis enim aegris subveniret? quae esset oblectatio valentium, qui victus aut [f 13r] cultus nisi tam multae nobis artes ministrarentur, quibus rebus exculta hominum vita tantum destitit a victu et cultu bestiarum, urbes vero sine opificum frequentia non potuissent aedificari, nec frequentari. Sed placet rei non dubiae hanc addere rationem, quod sicut civitatis origo est mutua indigentia, forma vero eius certa vivendi disciplina, per quam bene beateque vivatur, ita materia eius sunt res et artes necessariae<sup>ooo</sup>. Utrisque ergo ex aequo eget civitas, ut nunc sunt tempora, et rebus et artibus necessariis, illas aliunde adfert mercator, has domi exercet opifex accidente manu et arte. Qui tamen has res a primis principiis indagaverit, et ad ea respiciet non negabit opifices ipsos antiquiores esse mercatoribus, et aliquando Rempublicam sine mercatoribus constitisse, sine opificibus nunquam<sup>ppp</sup>. Nam Adamus primus parens statim a lapsu ut poenitentiam sibi et posteris suis a Deo inflictam perageret, in sudore vultus sui agrum coluit. Idem fecit et Noê, erat enim agricola. Sed ne soli agricolae credantur fuisse tunc temporis, legitur<sup>qqq</sup> extitisse etiam malleatores fabrosque in omni opera aeris et ferri. Et rursus Cain [f 13v] aedificasse civitatem, quam vocavit a nomine filii sui Enoch. Et illo tamen tempore nullibi legitimur, nec verisimile est, ante diluvium extitisse mercatores, sed eos demum coepisse, cum facta linguarum divisione Deus turris illius Babylonicae aedificatores in diversas terras disperserat. Ex quo prima laus et praestantia debetur opificibus p[re] mercatoribus a vetustate et

---

<sup>III</sup>Sic descributur a Plato liber 2 Politeia qui locus est translatus in et c.l.2 de nund et Cicero 2 de Officiis.

<sup>mmm</sup>I 5 \* Haec idcir. ff de iur. immu.

<sup>nnn</sup>2 de Officiis

<sup>ooo</sup>Plato 2 de republica

<sup>ppp</sup>Philo de mudo

<sup>qqq</sup>Genesis 4

*absoluta necessitate. Sed haec hactenus.<sup>i\*</sup> Cum ergo et illi et hi necessarii sint, videndum est quae respublica sit foelicior, illane quae praecipue dependet ex copia externarum nationum, an ea quae suis opificibus contenta, mercatores exteriores tantum in subsidium admittit, non ut in iis suam fortunam aut foelicitatem extremam statuat. Et multis variisque rationibus efficiemus, hanc rempublicam foelicem esse, illam contra infoelicem. Sed quia exempla utpote rem ob oculos ponentia et sensibus servientia magis quosdam movent, quam rationes quae in intellectu consistunt. Persequamur antea in universum quid optimae et constitutae Respublicae senserint de opificibus et mercatoribus, et quo loco numero et honore eos habuerint. Utque altius repetamus, a Noë, qui edoctus erat divinam et humanam sapientiam sume-[f 14r] mus principium. Hic cum resederat arca in Armenia saga, siccato ab aquis orbe, antequam discederet ab Armenia, docuit illos simplicem agriculturam magis curans religionem et mores, quam opulentiam et delitias, quae ad illicita et libidines provocant, et coelestium iram nuper induxerant<sup>rr</sup>. Primus quoque omnium invenit vites et vinum confecit, sed et far docuit primus, utraque ad sacrificia et religionem magis quam ad esum et potum<sup>ss</sup>. Ab aurea enim aetate (quae duravit annis novem et quadraginta supra ducentos, quo usque scilicet Ninus rex Assyriorum hos aureos mores nova regnandi cupiditate mutavit, et primus limites transgressus bella finitimis movit et totius Asiae perdomuit populos) quotunque gentes undique dispersae erant aut in colonias missae, rudi trunco cavaque arbore atque tugurio utebantur suis finibus contentae, victus eis parcus erat, et prout terra sponte preabebat. Ideoque sequitur tunc temporis ignotam fuisse mercaturam, ad quod elegantissime accedit Poeta, primo Metamorphosis hic canens:*

*Nondum caesa suis: peregrinu ut viseret orbem:*

*Montibus in liquidas pinus descenderat undas*

*Nullaque mortales praeter sua littora norant*

*Et post*

*Mollia secare peragebant octa gentes.*

*Ipsa quoque immunis rastroque intacta nec ullis*

*Saucia vomeribus per se dabat omnia tellus.*

*Contentique cibis nullo cogente creatis.*

*Arbuteos foetus montanaque fraga legebant:*

*Cornaque, et in duris haerentia mora rubetis*

*Et quae deciderant patula Iovis arbore glandes.*

*Scythaes autem Armeni, hi enim, argumentis superatis Aegyptiis cum iis contendentibus de*

---

<sup>i</sup>Argumentum a vetustate et absoluta necessitate

<sup>rr</sup>Bero. liber 3

generis vetustate, antiquiores semper visi sunt<sup>ttt</sup>, constituta politia ex disciplina Noë, spreverunt mercatores, solis pascendis pecoribus et armentis intenti, aurum et argentum perinde contemnentes ac reliqui mortales appetunt. Ita cum nihil alienum concupiscerent, haec continentia illis morum quoque iustitiam dedit. Quippe divitiarum et mercium cupidus ibi est ubi et usus. Tamque haec politia eis bene successit, ut virtute animi, armis et duritia corporis praestantes, perpetuo ab alieno imperio aut intacti aut invicti permanerint, sibi tamen virtute et viribus multas regiones subdiderint: non praedae, sed solius Victoriae et gloriae, quae illam consequitur, causa. Eadem ratione Satarchae populi Septentrio-[f  
15r]nales<sup>uuu</sup> ad Paludem Maeotim vergentes, bellicosissimi, usu auri argenteique damnato, in aeternum se a publica avaritia abdicarunt<sup>vvv</sup>. Simili modo Axiaceae<sup>wwwxxx</sup> in Europa siti, bellorum avidissimi aliena non contingunt. Narrant Historiographi Seres frugalissime et pacatissime inter se vivere, armorum semper et praeliorum expertes, cuius haec praecipua adfertur ratio, quod vitent reliquos mortalium coetus, et solummodo sua fila et serica advenis vendentes, nihil ipsi comparent adventitium<sup>yyy</sup>. Idem fere olim de omnibus Septentrionalibus regionibus proculdubio secutis in eo instituta maiorum Noë, videlicet et filiorum eius. Nunc de Aegyptiis: fertur apud eos, litteras, Astrorum cursus, Geometriam artesque plurimas fuisse repertas: optimas insuper constitutas leges, horum maximum esse argumentum, annis amplius tribus millibus et septingentes indigetes reges Aegypto imperasse, eamque proviciam caeterarum orbis esse foelicissimam: quae nullo possent pacto fieri, nisi optimus moribus et legibus vexissent, eruditique omni doctrinarum genere fuissent<sup>zzz</sup>

Huius causa quotquot plurimi doctrina [f 15v] excelluerunt, in Aegypto fuisse, ut leges eorum et studia cognitione digna perciperent<sup>aaa</sup>. Horum ergo politia, ut proprius ad rem accedam, in triplici tantum hominum genere consistebat<sup>bbb</sup>. Agricolarum, pastorum, et opificium. Agricultae per omnem aetatem rei rusticae vacabant, eodem modo pastores curae et arti regendi pecoris insudabant. Artes admodum exulta et ad summum perductae erant. Nec censebatur mercatura, inter eorum vitae genera, neque exteris negotiatoribus dabatur aditus. Psammiticus enim postremus fere regum Aegyptiorum, ut scribit<sup>ccc</sup> Diodorus Siculus, primus caeteras nationes ad importanda, quae apud se erant, allexit, securitate singulis adventibus praebita. Apud superiores enim reges, nulli externi ad

<sup>sss</sup>Faber pict. de aur. saer.

<sup>ttt</sup>Iustinus liber 2

<sup>uuu</sup>ontbreekt

<sup>vvv</sup>Pomponius Mela liber 2 caput I et Solynus in Polyhistor caput 20.

<sup>www</sup>ontbreekt

<sup>xxx</sup>Idem Pomponius eodem caput et Solynus eodem caput

<sup>yyy</sup>Solynus in Polyhistor caput 53 at Pomponius Mela liber 3 caput 6

<sup>zzz</sup>Diodorus Siculus liber 2 caput 3

<sup>aaaa</sup>Diodorus Siculus liber 2 caput 6

<sup>bbbb</sup>Diodorus siculus liber 2 caput 3

<sup>cccc</sup>liber 2 caput 2

*Aegyptum navigabant, saltem negotiationis ergo, cum partim occiderentur, partim in servitutem redigerentur. Haec ille. Facile tamen crediderim, ductus testimonio sacrae scripturae<sup>dddd</sup>, diu ante tempora Psammitici aliquos mercatores admissos fuisse. Sicut legitur de Ismaëlitis qui aromata resinam ac stacten ferebant in Aegyptum, quod fiebat anno a diluvio quingentesimo quinquagesimo nono. Iam si velim recensere quot gentes*

[f 16r] netes (?) neminem ad se, aliquae de causa adire passae fuerint, et omnium hominum commercia fugerint nimis longus sim. Tauroscytha*e*iis quos coeperint amputant caput. Anthropophagi captorum hominum carne vescuntur. In medio terrarum Sicilia et Italia fuere huiuscemodi monstri gentes Cyclopes et Lestrigones, et nuperrime trans alpes (inquit Plinius<sup>eee</sup>) hominem immolari solitum, quod paululum a mandendo abest. Phoenices populi Asiae nomen sortiti sunt "para to foneuein", quod ab initio cuiusque generis appulsos homines pro victimis feriebant. Garamantes omnium hominum commercia aspectumque refugiunt. Sed ad propositum revertar. Si Aegyptii coloni sunt Aethiopum deducti ab Osiride filio Cham ex Rhea, et plurimes leges ab Aethiopibus ad Aegyptum translatae fuerint, ut tradit Diodorus Siculus<sup>fff</sup>, colonis maiorum servantibus instituta, verisimile est, eodem modo quo Aegyptiorum, antea constitutam fuisse Aethiopum politiam, nullumque mercatoribus apud eos fuisse locum. Praesertim apud Macrobios qui leguntur iustitiam colendo, amando aequum et bonum, aurum, viliore loco habuisse quam aes<sup>ggg</sup>. Nec autem credas, vel audibilem illam Aegyp-[f 16v]tiorum institutionem; parvo loco fuisse conclusam, scribit idem Diodorus<sup>hhh</sup>, Olim Aegyptum, numero hominum, omnes fere orbis gentes superasse. Oppida insignia, civitatesque priscis temporibus ultra decem et octo millia fuisse in Aegypto. Ptolomaei Lagi tempore, amplius tria millia, quae et usque ad nostram, inquit, aetatem perdurant, annumerata sunt. Universi populi numerum fuisse antiquitus septies decies centena millium: nunc haud pauciores esse ter decies centies millibus tradunt. Haec ille. Porro Indorum gens in Asia, maxima inter caeteras orbis, optime fuit constituta. Argumento est, quod nullus unquam eis rex advena imperarit ante Alexander Macedonem: quod mirum est de tam numerosa gente. Commemorant namque Indiam tam vastam ut diu credita fuerit tertia pars esse terrarum. Oppidis adeo excultam, ut in ea fuerint quinque millia praecipua capacitate, populorem novem millia: Quia soli Indi nunquam a natali solo recesserint<sup>iii</sup>. Universa igitur gens Indorum olim in septem ordines<sup>iii</sup>, diversa fuit<sup>kkk</sup> quorum primus philosophorum erat, secundum agricolarum. Tertium ordinem

---

<sup>dddd</sup> Genesis 37

<sup>eee</sup> 5 Naturalis Historia caput 7

<sup>fff</sup> liber 4 caput 1

<sup>ggg</sup> Pomponius Mela liber 3 caput 10

<sup>hhh</sup> liber 1 caput 3

<sup>iii</sup> Solynus in polyhistor caput 55

<sup>iii</sup> ontbreekt

<sup>kkk</sup> Diodorus Siculus liber 3 caput 10

*conficiebant omnis generis pasto-[f 17r]res. Quartum locum tenebant artifices, quorum pars armis, pars rusticis instrumentis, alii aliis utilibus rebus fabricandis vacabant.*

*Hi erant non solum immunes a tributo, sed frumentum insuper a regia percipiebant. Et cum lege cautum esset, ut qui membro aliquo quempiam orbasset, non modo talionis poenam subiret, sed etiam manu truncaretur: si quis artifici manum oculumve ademisset, capitale erat. Tantum nimirum tribuebatur artificibus. Quinto ordine erant milites, sed numero secundi. Sextus erat ordo Ephororum sive superintendentium. Septimo loco existebant, qui publicis consiliis praeerant, numero paucissimi nobilitate prudentiaque maxime insignes. Nusquam mentio mercatorum, nullo honore aut numero censemantur. Arabes qui et ipsi longe lateque diffusi sunt, diversis, ut author est Solynus, moribus viventes et cultibus, commerciis student, aliena non emunt, vendunt tantummodo sua, quippe et silvis et mari divites<sup>III</sup>. Gamphasantes, teste eodem Solyn<sup>mmmm</sup>, fugiunt commercia, et nulli se externo misceri sinunt. Ut ad Italiam descendam, consentiunt in eo vete-[f 17v]res, creuisse eam non mercatura, sed exercitio vitae rusticae; quod etiam denotat Vergilius, laudans<sup>nnnn</sup> vitam rusticam a priscis eius vitae cultoribus, in hunc modum.*

*Hanc olim veteres vitam coluere Sabini:*

*Hanc Remus, et frater: sic fortis Hetruria crevit:*

*Scilicet et rerum facta est pulcherrima Roma.*

*Septemque una sibi muro circundedit arces.*

*Si altius repetas, reperies quem Gentiles Ianum, nos Noen vocamus, anno decimo nono Nini regis Assyriorum, venientem in Italiam (quia intellexerat Cham filium suum corrumpere ibi iuventutem) primum Italiam formasse bonis institutis et legibus, docuisse Theologiam, Physicam, Astronomiam divinationes, ritus et rituales conscripsisse, et in re rustica, non in mercatura instituisse<sup>oooo</sup>. Primi vero patres, ut ex sacris edocemur bibliis, Abrahamus, Isahacus, Iacobus, et alii horum filii, quin et Moyses et David in regione Syriae, studuerunt alendis pecoribus quae et victimum et amictum homini ministrant, et tota eorum subsistantia in re pecuaria consistebat. Unde nomem pecuniae<sup>pppp</sup>, quod apud eos unum hoc usurpabatur deliciarum et divitarum genus. Non disimilis fuit vitam veterum Germanorum quibus numerosa ar-[f 18r]menta solae et gratissimae opes erant<sup>qqq</sup>. Similis quoque vita Hispanorum: siquidem tempore Geryonis regis Hispanorum, ut recenset Iustinus<sup>rrr</sup>, armenta, solae opes, habita sunt. Idem fere*

---

<sup>III</sup>*Solynus in polyhistor caput 6*

<sup>mmmm</sup>*Solynus in polyhistor caput 34*

<sup>nnnn</sup>*Georgica 2*

<sup>oooo</sup>*Bero liber 5 de Nino filio Be(?)*

<sup>pppp</sup>*caput totum 1 q. 3*

<sup>qqq</sup>*Cornelius Tacitus ie(?) moribus Germanorum*

<sup>rrr</sup>*liber 44*

traditur de veteris Gallis. Et factum est sucessu temporis, ut commemoratae gentes cum nullas noscent delitias praeter pecora, licet optimis legibus, literis et philosophia formatae fuissent: Germani quidem a Tuyscone gigante anno quarto Nini filii Nini: Hispani eodem tempore a Tubale quintogenito Iapeti: Galli a Samote<sup>ssss</sup> (qui ita dictus est a sapientia qua eiusdem aetatis omnnes praecebat) quia difficillimum est mediocritatem servare, cum nihil haberent quod eorum animos enervaret, magis declinarint in ferociam, minus malum, quam in mollitatem. Nam testatur Caesar<sup>ttt</sup> reperisse se Germanorum vitam consistere in venationibus atque studiis rei militaris, agriculturae non studuisse, maiorum partem victus eorum in lacte, caseo et carne constitisse. Et Tacitus<sup>uuuu</sup> notat, eos natura sua contemptui habuisse aurum et argentum, et aegre tandem permutatione mercium usos<sup>vvvv</sup>. Veteres Hispani fuerunt duri, laboris patientes, et semper bellicosi, malveruntque habere bellum quam ocium<sup>wwww</sup>. Cumque [f 18v] extraneus abesset hostis, ipsi domi excitarunt seminarium discordiae et belli. Anteposuerunt militares equos atque arma bellica proprio sanguini. Foeminae res domesticas, agrorumque culturas administrabant, viri vero armis et rapinis inserviebant. Gallis antiquis ferox erat ingenium, ingenita simplicitas, maius bellorum quam agrorum studium, plus virium quam consilii in bella conferebant. Fuit enim tempus, teste Iulio Caesare<sup>xxxx</sup>, cum Germanos Galli virtute superarent et ultiro bella inferrent, ac propter hominum multitudinem, agrique inopiam, trans Rhenum colonias mitterent. Idem Iulius Caesar de Suevorum moribus ita scribit<sup>yyyy</sup>. Suevorum gens longe maxima ac bellicosissima Germanorum omnium: et post pauca. Mercatoribus est ad eo aditus magis, eo, ut quae bello cooperint, quibus vendant, habeant, quam quo ullam rem ad se importari desiderent. Iam ut unum atque alterum exemplum adferamus ex Graecia. Olim Athenienses prudentissima civitas, nullum civitate donabant, nisi opificem, qui cum tota domo se Athenas contulisset, aut perpetuo exilio, natali solo pulsus esset. Lacedaemonii olim, quorum piae caeteris in Graecia status Reipublicae laudatur, peregrinos [f 19r] amovebant, non modo ne frugalitas quam sponte elegerant et contemptus auri permanerent, sed etiam ne cives versutias atque dolos a peregrinis haurirent<sup>zzzz</sup>. Sciebat enim optimus Legislator naturam ad peiora quaeque proclivem esse. Plato sapientissimus philosophus, in secunda illa et Republica perfecta, quam descriptis dialogo quinto de legibus, proxime accedente ad Rempublicam in qua omnium rerum sit in communio, cum partitus fuissest domicilia agrosque in quinques mille et quadraginta, noluit quemquam qui de quadraginta et quinque milibus domorum esset, cauponem

---

<sup>ssss</sup>Bero liber 5

<sup>ttt</sup>liber 6 de Bello Gallico (wordt niet in de tekst aangegeven)

<sup>uuuu</sup>de moribus Germanorum

<sup>vvvv</sup>ontbreekt

<sup>wwww</sup>ontbreekt

<sup>xxxx</sup>6 de Bello Gallico

<sup>yyyy</sup>4 de Bello Gallico Eutro epith. Bello gallico

<sup>zzzz</sup>Xenophon de republica Lacedaemonium.

*mercatoremve nec sponte nec invitum fieri. Fecerunt ergo Graeci sapientes, pluris opifex, quam mercatores nec iniuria, quia postmodum per mercatores, ut ex Cicerone hoc deplorante ostendimus, luxuria et Ignavia in Graeciam migrarunt. Brittania (Scotiam comprehendendo) insula tam ingens ut pene nomen orbis alterius mereretur, ante tempora Iulii Caesaris fuit icognita, et tum primum extranei commercia cum Britannis facere coeperunt, cum victoria potius Insulam aperuisset<sup>aaaa</sup>. Testaturque Solynus<sup>bbbb</sup> Brittanos etiam suo tempore custodisse more vetustum, nun-*f* dinas ac numos refutasse, dedisse res et acepisse, mutationibus necessaria potius quam pretiis darasse. Cuius moris vestigia etiamnum videntur durare, cum ipsi Britanni suas merces extra regionem ferant divendantque ut ad se pauciores alioqui adnavigaturos admittant commenti in eam rem legem ingeniosissimam. Nam quid aliud est prohibere ne pecunia signata e regione deferatur, quam mercatores exteros minime aspera constitutione, et sine cuiusque exacerbatione, ac quasi phaleratis verbis frequentem navibus aditum recusare. De Iuverna vero, quam vulgus Irlandiam vocat, idem iudicium est; quod de inhospita et inculta antea Britannia, si quidem et hi crudeles et agrestes mores servarunt, donec commercio aliarum gentium honestiores humanioresque mores paulatim imbibissent. Burgundiones veteres, fabrilibus ministeriis atque agriculturae, vitibusque colendis quaestum fecisse proditum est memorare, interque eos primas tenuisse, qui prae caeteris in his rebus essent insignes. Penes hos, dicende magistratus potestas erat: adeo ex re rustica et artibus fabrilibus omnia pendebant. Incolas Melites insulae, quam nos vulgo Maltam vocamus, asserit Diodorus Siculus<sup>ccc</sup>, [If 20 r] fortunatos existimari, non a mercatoribus, qui tamen eo navigantes propter plures quos habet tutos portus, eandem gloria et opibus auxerunt: sed quoniam varii generis artes exercent et optimas facerent lineas telas, tum tenuitate tum molitie spectatas.<sup>ddddd</sup> Utque nec preclaro generosove ortu, mercatores immodice efferantur, fama est, primos mercatores, qui merces in alias regiones navibus portarunt, fuisse illos quorum modo memineramus Phoenices, de quibus quiddam sic cecinit:*

*Primique per aequora vecti  
Lustravere salum, primi docuere(unt?) carinis  
Ferre cavis, orbis commercia, etc.*

*Eosque praeter alia vitia insatiabili avaritia captos fuisse<sup>eeee</sup> illinc constat: quod cum durante incendio sylvarum in Pyreneo, ex montibus flammarum vi coepissent descendere  
stillidia argenti liquefacti: et habitatores illorum locorum usum argenti ignorantes, metallum illum*

---

<sup>aaaaa</sup>Tacitus in vita Iulii Agricolae & Eutr. epit. Bello Gallico  
Diodorus Siculus liber 6 caput 8

<sup>bbbb</sup>in polyhistor caput 25

<sup>cccc</sup>liber 6 caput 4

<sup>ddddd</sup>Baysius de re vestiar. c. 17

<sup>eeee</sup>Pomp. Mel. liber 1 caput 12

*contemnerent: supervenientes in Hispaniam<sup>fffff</sup> mercatores ex Phoenicia, emerint vili rerum permutatione magnam argenti vim, et in Graeciam, Asiam, ac nationes caeteras, detulerint. Adeoque ut et nunc fere sit, excitavit, eos quastus cupiditas [f 20v]*

*ut cum onustis navibus superaret argentum, amoto ab ancoris plumbo, argentum eius loco subderent. Quo lucro Phoenices admodum opulenti facti, plures colonias, tum in Siciliam propinquasque insulas, tum in Lybiam, Sardiniamque ac Iberiam destina(ver?)unt. Et haec quidem in genere recensuimus. Illud autem omitendum non est, ferarum quas commemoravimus nationum mores agrestes et imcompositos tamdiu durasse, donec exterorum praesertim mercatorum, eorumve qui eas debellarunt commercio paulatim immutari contingit et politiores fieri.*

*Verumenimvero ea mutatio morum, quod dolendum plurimum est, fere fuit in peius. Cum enim virtutis unica tantum sit via, difficile fuit quin peregrinarum rerum notitia, moliores effectae sunt, quae antea nimium erant severae ac fortes. Quamobrem*

*Romani hac arte in stabiliendo imperium in diversis provinciis usi sunt, ut devictos a se assuefacerent operam dare, quieti et ocio per voluptates, et rerum effoeminantium advectione, ut mitescerent, et ne rebellionem meditarentur. Et hac vitiorum delinimenta, imperiti, sicut prodit Tacitus de Britannis<sup>ggggg</sup>, humanitatem vocabant, cum potius pars servitutis essent [f 21r] Praedicavit enim Caesar annum Gallorum fortissimos Belgas<sup>hhh</sup>, propterea quod a cultu et humanitate provinciae Narbonensis longissime abessent. Qua ratione et Germani, quia mediterranei sunt, et Oceanus ille germanicus navigatu periculosus ac ignotus, rariss ab Italia Graeciaque navibus adibatur, divitius retinuere priscam illam et rudem simplicitatem. Sicque in sua inopia, egestate, patientia Germani permansere, eodem victu et cultu corporis utentes. Et adhuc avitae ferociae plusculum retinent.<sup>iiii</sup> Non est itaque peius, imo melius cum iis actum, quam cum populis, exterorum mercatorum commerciis contaminatis. Nemo est qui tam bellicosos dicat Suevos quam olim fuerint. Et in causa esse arbitror, quod ut olim bellis, ita hodie potentiores Suevorum fere omnes mercatura vacant. Iam ut superiora exempla amplius etiam rationibus corroboremus: Hoc perpendendum est, in universum omnes gentes postquam dominia rerum fuerunt distincta, usas esse permutationibus. Ex quo efficitur, quamdiu inter gentes mansit permutatio, non fuisse frequentatam mercaturam de una in aliam regionem: sed coepisse inter eos qui longo terrarum spacio [f 21v] disiuncti essent, inventa primum emptione et venditione. Nam ut declarat Aristoteles,<sup>iiii</sup> cum externo auxilio opus foret ut ex remotis partibus necessaria adveharentur, et ea quibus homines abundabant, exportarentur, ex necessitate fuit pecuniae usus introductus, quoniam omnia quae*

---

<sup>fffff</sup>Diodorus siculus liber 6 caput 7

<sup>ggggg</sup>In vita Iullii Agricolae

<sup>hhhh</sup>1 De Bello Gallico

<sup>iiii</sup>B. Rhena

<sup>iiii</sup>Politika 1 caput 6

natura necessaria sunt, non facile deferri poterant. Quid itaque mercator egisset cum suis mercibus in alienis regionibus? Primum suas deferre molestum admodum erat, neque enim omnibus equi sunt, nec omnibus navis aut currus copia contingit, ut contingat, fieri potest ut nauta vel auriga non egeat iis rebus quas mercator pro usu navis currusque vicissim offerret. Iam etiam si suas res cum aliis permutasset, in eodem haereret luto, siquidem idem incommodum incideret in eadem deferendi domum, quo laborabat in adferendo. Deinde venditor forte emptoris aut emptor venditoris opere non egebat. At indigentia est causa contractus

ineundi, quandoquidem cum uterque alterve nihil alterius desiderat, contractus inter eos nullus solet intervenire.<sup>kkkkk</sup> Omitto diffiuctatem in revocandis mercibus ad aequalitatem deficiente pecunia, quae inter domesticos cives satis gravis erat [f 22r] nedum fuissest inter extraneos levis. Ob easque causas introductus est numus ex instituto.<sup>lllll</sup> Et post numum coepit emptio et venditio.<sup>mmmmm</sup> Sed videtur, inquit quis, peius actum cum hominibus eo saeculo quo numus in usu non erat. Imo vero multo melius. Quandoquidem permutatio ad sordidum illiberalemve qaestum qui fere scopus est omnium mercatorum (vulgo enim ut fertur, Lucri bonus est odor ex re qualibet) non pertinet: sed praebet solummodo ea quae secundum naturam necessaria sunt. Placet hic optare cum Plinio, <sup>nnnnn</sup> o utinam possit ex vita mortalium in totum abdicari aurum sacra fame, ut celeberrimi authores dixerunt, proscissum convitiis ab optimis quibusque, et ad perniciem vitae repertum. Quanto foelicius aevum, cum res ipsae permutabantur inter se, sicut et Troianis temporibus factitatum, Homero <sup>ooooo</sup> credi convevit. Sunt enim commercia victus tantum gratia inventa non quaestus et lucri. Hinc illae lachrymae. Sic omnia satis in peius ruunt. Primis enim temporibus erat vita communis et rerum omnium communio, antiquissima perfectissimaque vivendi norma. Sed ei invidit inimicus, et propter hominum improbitatem successit rerum permutatio, communione [f 22v] deterior, emptione precosior. Tertio subiit ferrum argentum aliudve metallum, primo simpliciter definitum magnitudine et pondere. Postremo adiectus est character, ut homines mensura levarentur.<sup>ppppp</sup> Et enim signum positum est ad quantitatem demonstrandam. Et hi sunt gradus labentium temporum, quorum occasio fuit rerum externarum insatiabilis cupiditas; quae ad se explendum, mercatura usa est. Ex predictis diversarum nationum constitutionibus vel politia intellegi potest, priscos populos ignorasse, prorsus omnem negociationem, quosdam neglectui nulloque numero habuisse, aut non nisi gravi habito delectu usos fuisse in admittendis mercatoribus, alios sua vendisse, aliena non comparasse. Denique ubi negotiatio frequentata fuit; ut plurimum plus mali quam boni invexisse. Econtra nullas gentes sine opificibus vixsse, et eosdem inter praecipuos ordines recensuisse et

---

<sup>kkkkk</sup>Aristoteles cth. liber 5 caput 5

<sup>lllll</sup>Aristoteles d. loco.

<sup>mmmmm</sup>liber 1.ff. de contr. emp.

<sup>nnnnn</sup>liber 33 caput 8(?)

<sup>ooooo</sup>liber 6 Iliados

retulisse. Sed de his hactenus nunc ad deorum sigulos poetas transibo, qui sub fabularum involucro, ne quem offendarent, voluerunt veritatem latere. Fingerunt iatque Mercurium praesidere furto et mercatura, tum quod ad quaestum faciendum plurimum prodesset, tum nihil intersit inter negociantis ratis rapinam atque periurium furantisque deierationem ac raptum. Tacite innuentes paucos reperiri iustos mercatores, quod certe hoc tempore verum experimur, postquam et lingua coepit esse in quaestu; quapropter cum a predominante fiat denominatio et confideretur id quod ut plurimum, non quod raro evenit,<sup>qqqqq</sup>a communiter accidentibus appellarunt Mercurium praesidem furti. Porro eundem pingunt pennata talaria nectentem, quod negociantum pedes ubique pergendo quasi pennati sunt. Virgam habentem serpentibus nexam, quod mercator modo divitiis suis aequet sceptrum et brevi post tempore accipit vulnus quasi a serpentibus, quo Irus erit subito, qui modo Croesus erat. Galero et gallo coopertum caput, quod omnis negotiator ut plurimum invigilet cum per mare per terras currit, vix unquam secure dormiens. Gallum enim excitandis in opera mortalibus, rumpendoque somno genuisse providentia divina videtur. Praesidem vero artium moechanicarum et inventricem, fingunt Minervam, eademque ex Jovis vertice natam esse, nimirum ab ingenio. Omnes enim eius inventiones sive artium sive bellicorum stratagematicum (est enim eadem dea belli) ex vi ingenii atque sapientiae [f 23v] procedere videntur. hanc fingunt armatam Gorgona habentem in pectore, quasi terroris imaginem, eo quod civitas quae recto ingenio gubernatur sive sapientia adiunctis artibus moechanicis, sit recte munita. Veste triplici subnixam, quod non modo vii ingenii, sed etiam exterioribus exercitiis pluribus fulcitur. Longam hastam vibrantem, quod civitas in qua illa principatum tenet, non modo non mollescat in ocio, sed cum hoste semper parata sit praelium conferre, sinique suos tueri. Fingitur eadem virgo immortalis, quod civitas in qua regnat Pallas nunquam vincatur, nec unquam ocio torpescat, luxuria vero desidiaque vacet, incolumnis, viridis, ac viribus integra permanens, ideoque efuggit imperium Cupidinis, filii Veneris, cui Juppiter, Neptunus et Mars succubuere. Sed ut ad rationes unde digrediebar, redeam, primum sic statuo eam foelicem esse Rempublicam, quae stabilis ac diurna est et econtra infoelicem, quae instabilis est. Quo concesso, docebimus rempublicam eam quae artificibus moechanicis muniter propriis fundamentis niti, illam vero quae exteras nationes ut Hispanos, Italos, Germanos, Anglos, Francos, Venetos, aliunde ut accersit maximo [f 24r] numero ibi negocientur; excipiens hominum cuiusque generis multitudinem in stationem suam, niti mutuatitiis auxiliis. Et consequenter illam diurnam, hanc vero subinde ruituram. Nam opifices moechanici indigenae, educati in una regione, inter quos, leges et mores iidem constituti, tum iuris aequa descriptio certaque vivendi disciplina per quas bene beateque vivitur, quibus denique est par genus, similis lingua, communis usus, cultusque,

---

<sup>ppppp</sup>polit. r. caput.6

<sup>qqqqq</sup>liber 3,4 et 5 ff de leg.

vitae, hi naturali amore afficiuntur erga concives et patriam,<sup>rrrr</sup> quia simile gaudet simili et aequalitas, ut est in proverbio altrix et nutricia pacis. Quae quidem sunt apud philosophos demonstrationes usu rerum confirmatae. Qui amor erga natale solum compellit hominem perpetuo manere in civitate apud sui similes, nisi quod aliquando quidam matrimonio exteris coniuncti, vel propter excellentiam alicuius artificii aut similibus de causis, trahantur aliorum. Sed abitus et emigratio quorundam privatorum in republica praesertim populosa parum universitati nocet et si multi excedere civitate vellent, magistratus quosdam iniuncto munere publico retinebit et astringet, in alios suam ditionem et ius exercebit, [f 24v] omnes denique remorabitur partis bonorum multa denunciata, aut aliis legitimis modis ab eo proponendis. Quanquam propter commemoratas rationes, privilegia quibus a suis principibus cives praesertim in civitatibus privilegiatis, dotati sunt; efficiunt ut cupide civitate fruantur; est tamen et alia ratio, cur opifices perpetuo in uno civitate habitare optent, quod nimis omne eorum lucrum consistat in concursu et frequentatione plurimorum qui eorum fabrifacta arte emunt. Nam si eo redigatur opifex ut sua cogatur offerre quibusvis emenda, vili vendet, mercx enim ultronea putet, hoc autem contingere opificibus in aliam civitatem emigrantibus. Cives enim cuiusque civitatis plerunque habent delectum civium et peregrinorum in emendo aut contrahendo et peregrini quia incogniti nec celebres sunt, iacent nec habent quod operentur, nisi prout eventus fert, occupantque extremum. Mavult ergo et considerare agit opifex quod maneat in una republica, ubi ipse notus est aut parentes sui egerunt vitam vulgo noti. Nam qui parentes aliquando cognorunt, ex huiusmodi familiaritate devenientes in cognitionem filiorum libenter eos pree aliis eligunt et adeunt. [f 25r] Idcirco etiam quod habuit maiores suos alicuius artis peritos, si ipse in ea se exerceat praesumitur itidem bene peritus.<sup>ssss</sup> Illinc sit ut multa iis occurrant fabri-canda. Nam nihil miseratione dignius opifice, cui cum animus sit in labore comparare victimum, deficit quod operetur destituiturque; opificio nec frequentatur. Econtra cui abunde adiicitur quod conficiat, et cui operi opus accrescit et repullulat necessario prospere aget, si alioqui sit honestae et temperatae vitae, nisi occulta aliqua de causa a superis puniatur. Et ita efficitur quod indigenae mutuo se agnoscentes, amantes et inter se connexi, ulti citroque contra habunt, alter alterum sustentantes. Nam cum in republica plures sunt cives, et unusquisque aliquot opificium exercet, ii cives in unum collati, et alter ab altero dependentes, quasi unum hominem constituunt, quia multiplici arte pollet, oculis pluribus cernit, operatur manibus multis et pedibus pene infinitis nititur. Et haec vere una est Republlica de qua uberius suo loco. Sed quandoquidem populares operis popularium non tam abunde utuntur, ut operarii inde vitam tueri queant, ideo admittimus negotiatores in republicam praesertim indigenas quia opificibus abundantanter suppedimenta opera [f. 25v] facienda et eorum fabrefacta opera evehant in regiones in quibus iis opus est, ut exoticas

---

<sup>rrrr</sup> l. veluti. ff de inst. et iu. iuncta glo. sin. in l. sin. C. si ser. exp. vend. Diod. Sic. lib. 4 cap. 3

<sup>ssss</sup> I 2 sed anat C de ver. Iur. enuc.

merces rursus inde advehant et civitati necessaria. Quemadmodum Brugis panni lanei qui coficiuntur in Septentrionales regiones evehuntur, quae vicissim subministrant alia, ut axiungam, sevum, picem, frumentum. Panni gossypini in Hispaniam, unde rursus frumentum, vinum, lana et aurum. Amphimalla tenuiores panni et versicoloria peristromata, in Italiam et inde in Turciam, unde ad nos sericum, panni bombycini, holoserici et subserici, ad luxum inventa et quibus possemus carere,<sup>v</sup> quapropter Socrates apud Platonem <sup>x</sup> censem non solum ea opera debere confici, quae civitati sufficerent ad cultum et victimum, sed qualibus et quot illa indigeret, ob advenas nimirum eam frequentantes et huiusmodi quarentes, ut in aliam regionem eveharent. Et huiusmodi quidem Respublica in qua "autochthones" opifices singuli ita operantur ad quod natura apti sunt, non potest perire, sed semper sui similis permanebit, et perennis successione, nihilque aut infoelicitatis ei potest accidere, nisi forte bellum mercatori aditum et exitum intercludat, ut cum velit exire non liceat; quae fortuna etiam em-~~f.~~  
26r]poris precipue fundatis in peregrinorum et adventitiorum commercio communis est. Sed respublica cuius praecipuum fundamentum consistit in advenis et exteris, in qua qui artificium necessarium vel alias utile humano generi arte et manu exercerent; serviunt exteris in onerando, exonerando et aliis modis, nititur fragili fundamine. Nam cum servilibus officiis intenti aetatem agunt, mercatore deficiente, una corruunt, quia nullum artificium liberale callent, sed tantum noti sunt pro vehiculariis vel mercenariis. Quod si antea fuissent incognitum, nuper est cognitum. Patuit enim non ita diu Antverpiae, absente ad tempus anglica natione, quot homines plebei hoc incommodum senserint. Videbatur enim iam ex parte ruitura civitas et fortassis sic erat futurum, nisi Senatus sanioribus consiliis eius denuo praesentiam, mercaturamque impetrasset. Et haec una fuit natio, quid censes futurum fuisse, si aliae nationes itidem defecissent? Rursus quibus locis paratur sericum, plurimi a teneris unguiculis operantur (non est id artificium utile aut necessarium) iam si mercator eis adimat sericum; (fit enim hoc saepe ut experientia nos docuit et etiam docet) nihil prorsus [f. 26v] habent, cuius auxilio nisi per ignaviam et imperitiam artificii liberalis degere possint, verum e vestigio inertes et omnium abiectissimi deprehenduntur; segnes crudelis egestas opprimit, hos homines odio superique sequuntur. Nec enim facile sit, ut qui se ad stipendiarium contubernium contulerunt, id vitae genus relinquentes, artificium aliquod liberale addiscant, quidam enim ex illis iam sunt prouctioris aetatis, qui totum tempus contriuerunt in huiusmodi operis, quos vel pudet vel taedet iam aliquid discere. Alii sunt adolescentes et prout in ea aetate cum sanguine simul perturbationes animi effrenatius adolescunt, patiuntur a contubernalibus et consodalibus se seduci<sup>y</sup> vinarias tabernas inuissent, denique alienum aes grande conflat, ut cum nihil possideant nihil lucentur, vel cogantur ostiatim mendicare, vel sorti servitutis se subiicere. Et ut maxime aliquot opificium iam addiscant, nunquam evadent in eo perfecti,

---

<sup>v</sup>Solynus in. polyhistor caput 53.

<sup>x</sup>2. de republica

quia a teneris annis (ut vult Socrates) oportet quemque, artificiis assuefieri. Et haec pluraque ex advenarum commercio nascuntur incommoda, quae in republica opificibus constante, nullum locum sibi vendicant. Quandoquidem si aliquius artificii usus in civitate intercidat, nec frequentetur (quod raro sit) artifex noster quocumque terra [f. 27r] rum abierit, potens est victus lucrifacere. Et illi qui serviunt opificibus nostris, iis serviunt qui non deficiunt, et quibus peritiores et tandem artifices evadent, quod non contingit iis qui toti exterorum mercatorum addicti sunt servitio. Deinde ubi adventitius ille negotiator deficit, non modo ob commemoratas iam rationes civitas ipsa perit, sed etiam quia in huiusmodi oppidis populosis cum singuli vixerunt pro suo arbitrio et alii aliorum mores imitati, dediscentes mores patrios degenerarunt peregrinorum pessimos aut saltem diversos mores (ut ad pessima quaeque humana natura est pronā) sit ut mercatoribus alio migrantibus, relictī inter se cives dissentiant, propter dissimilitudinem morum, quae disparitas facit ut respublica non modo non floreat, sed ne stare quidem possit. Scripsit Plato<sup>a</sup> civitatem quae mercaturaē preasertim cauponariae est dedita, dolosi animi, instabiles ac infidos mores parere, ut parum ipsa, sui ipsius et aliarum gentium fidem et amicitiam colat. Praeterea si velis replicare memoriam temporum constat qualescunque summi civitatis viri fuerunt, talem civitatem fuisse.<sup>b</sup> Cum ergo summi viri versantes in emporiis in quibus est opulentia omnium divitiarum, sint dissoluti, sit ut et opifices ipsi in luxu vitae, in opiparis conviviis, in [f. 27v] nuptiis et in bellariis, quam fieri potest maxime eorum vestigia sequantur, praesens tantum tempus agnoscentes, cogitantes se habere abunde quod arte fabricentur, et ita se ipsos non noscentes nec intra fortunam viventes, deficiente mercatore, qui subministrabat satis operis conficiendi, super quo consistebant, fiunt omnium miserrimi, casus multis hic cognitus, et iam tritis, et medio fortunae ductus acervo. Civitas enim nulla legum potentia quiescere potest, si cuncta ad superfluos sumptus erogent cives, sique seriis posthabitatis, conviviis et venereis oblectamentis obnixe putent operam impendendam.<sup>c</sup> At ubi non sunt tantae copiae tantaque rerum omnium abundantia, cuiusmodi est in emporio: est tamen quod satis sit, ut in nostra opificium republica, cives frugales sunt, parce vivunt et sobrie et se ipsos nōrunt, quo nulla maior est sapientia. Ideoque stabilis est haec republica, illa vero fluxa et momentanea,

cum deficiente fundamento caetera corruant. Advenae autem et adventitii mercatores qui non communi utilitati, sed propriis consulunt, instar lignorum pro aquarum impetu feruntur, huc et illuc agitantur et facile deserunt stationem etiam ob mini- [f. 28r] mam occasionem vel ob levem aliquam iniuriam illatam, cum favor patriae non commoveat ad manendum. Et facillime eorum animus ab indigenis

---

<sup>y</sup>I. caput 1. 12.q.1

<sup>z</sup>Genesis caput 8 Plato 2 de Republica

<sup>a</sup>4 de Legibus

<sup>b</sup>Tacitus Annales liber 18 et ec cl. caput 10

<sup>c</sup>Plato ad Diogenes epistola 7

alienatur, cum sint alterius linguae, naturae, conditionis, plerique etiam ex iis alio loco familiam alentes. Imo vix quicquam pensi habent contra Deum et iustitiam violare foedere et pacta cum civitatibus inita, firmata per principes, sed commigrant alio cum mercibus, et ibidem etiam contractant. Neque mutua indigentia neque commoditas portus et loci, neque exceptio gratissimo hospitio, neque amor necessariorum, neque pudor aut consuetudo retinet invitatos advenas. Aliquando fit quod mercatores adventitii excedant urbe alioque se conferant iustis rationibus moti, veluti propter seditionem vel pestem late serpentem aut occultam a Deo immissam causam, qui casus ex improviso quotidie civitatibus imminent, hinc fit ut se suaque repente inde subducant. Hic silentio praetereo Brugas, libentius enim externa in tali re quam domesticam recordor: in quibus tamen debilitata magis quam fracta fuit mercatura. nec enim Brugae penitus destitutae sunt omni mercatu. Nam quantum ad lanam attinet, in hunc usque diem retinuere [f. 28v] pristinam negociationem et mercatorum concursum. Et iam recenter aperta commodissima navigatione reflorescunt, si licet id quod eventurum est praesagire. Nunc quoque si vel tantum una natio relinquat emporium, aliae itidem nationes paulatim deficient. Siquidem aut magnes ferrum trahit, sic mercator mercatorem, nationem natio invitat et sequitur. Et haec quidem hactenus. Nunc ad secundem rationem convertamur. Demonstrandum iam civitatem quae commerciis Barbarorum et exterorum contaminatur, et in iis potentissimum tota consistit, servam et miseram, quae vero suis opificibus fulcitur, esse liberam. Primum enim quid miserius quam longo tempore ingenti labore gravissimis expensis, ire et redire in ambiendo exterias nationes, in quo fere evenit quod procis eandem potentibus, aut canibus qui ut potiantur eodem osse morsu decertant: dum sociae civitates idem sollicitant. Quod cum s/fit exteriae ille nationes alterutros sollicitatoresvana spe lactant, verentur ne tam magni desiderii frustratio aut desperatio eos avertat, subrident igitur et pollicentur semper facturae videntur unde inter civitates idem prosequentes sit discordia, siquidem iuxta Platonem,<sup>d</sup> simultas inter [f. 29r] aemulos nascitur, cuius prima origo ab exteris, quod indignissimum et merito est deplorandum. Rursus qui iam devinctas, imo et sacris et iureiurando obstrictas habent nationes, et mercaturam nacti sunt, iis maxima pars laboris restat, in iisdem tuendis et retinendis. Nam quemadmodum milites mercenarii transfugae, nunc sub hoc, modo sub illo principe stipendia merent, ita nationes exteriae odorantur sagaciter, si alicubi spes refulerit maioris quaestus. Quod si uspiam maior iuris immunitas iis promittatur, conantur expedire se obligatione qua devinctae sunt, nodum in scyrpo quaerunt. In summa captant undique occasionem ut discedere a pacto liceat, alioque cum mercibus se conferre. Et fit ut magistratus tam anxie eadem debeat observare, ut non tam praeesse et imperare: quam servire et obsecrare videatur. Quas studuit capere ut ditescat, ab his capitur et miserae servituti mancipatur, quae indignitas er servitus magistratui et indigenis extraneorum causa non est ferenda. Et quid interim nationes illae rident in sinu, admirantur stultitiam in consilio. O miseria infinita! Tandemne emptum

---

<sup>d</sup>7 de Republica

*tot sudoribus et sumptibus quo ridearis et illudaris? [f 29v] Sed error ille in plerisque animis altiores egit radices, quam ut extirpari possit, idemque accidit quod iis qui aulas principum sectantur, illi enim non videntes se in mediis aerumnis et calamitatibus vivere pulchre sibi blandiuntur, alios prae se contemnunt, et se omnium foelicissimos iudicant. Itidem et isti dum in maxima servitute vivunt, sibi plaudunt, et alios prae se infoelices existimant. Agendum erat prudentius, neque commercia advenarum tanti comparanda, quod enim his rebus inpendebatur, multo poterat collocari melius, consultius longe erat a nationum saltem quarundam commercio et amicitia abstinuisse, quod earum amicitia non multo s/fit bello tolerabiliore.<sup>e</sup> At certum est nihil tale esse in republica constante suis opificibus et manuum mercibus, haec enim ut diximus semper sui similes est, cum semper artifices maneant in civitate, quapropter in his conservandis vix indiget magistratus imperio, quia suapte natura consuetum et dulce imperium non aspernantur. Quare haec Republica vero libera, eaque parte beata, illa e converso serva et misera, denique infoelix. Nunc agendum de opibus et potentia. Plurimi enim in hoc falluntur quod foelicitatem civitatis me-*

*[f 30r]tiantur amplio censu, pleno aerario, potentia et divitiis, ut haec fere causa finalis sit proposita iis qui student civitatem suam facere mercatum omnibus communem: complures populos in suam stationem transportare sibi coniungere: ut scilicet caeteriss dicantur potentia, divitiis et censu antecellere, et eo se foeliores existimant, quo alios his magis exuperant. Sed longe secus iudicant qui recte sapiunt. Nam civitas suis munita artificibus, eo ipso quod opum copiis quae in emporiis sunt, privetur, longe foeliciar est, quod hoc pacto potest effici. Primum in eo errant quod divitias et potentiam posse se putant comparare si velint, sunt enim haec dona fortunae quae eadem largitur quibus vult, nec sunt in nostra potestate. Quare gravissime declamat Plato<sup>o</sup>, viri civilis modo compos mentis sit non eam esse voluntatem, ut quam maximam et ditissimam esse velit civitatem: auro et argento refertam, ac terra marique plurimum dominantem, sed ut quam optima sit ac foelicissima. Horum enim aliud fieri potest, aliud potest non fieri. Possilia igitur velle debere legum fundatorem, que incerta sunt futurane sint necne non velle nec aggressurum, nam vana est cupiditas. Utque [f 30v] maxime obtingant divitiae, hoc sapientes statum Reipublicae bonum virtute potius et pietate, quam pecunia, opibus, potentia contineri, cum finis eiusdem sit bene beateque vivendi ratio. Ideo omnis res et actio publica et privata non ad copiam, gloriam et potentiam, sed ad iustitiam sive virtutem penitus est referenda.<sup>f</sup> Nec potest esse iustus (teste Cicerone<sup>g</sup>) qui non contemnit divitias caeteraque caduca et humana. Sed ubi divitiae abundantanter affluunt: in omni flagitorum genere degitur, tantum abest ut recte vivatur, ex uno vitio in aliud homines*

---

<sup>e</sup>Erasmus Rotterdamiensis in liber de Institutione principi Christiani

<sup>o</sup>5. de legibus

<sup>f</sup>Nove.l. ut omnes obed. ver. si vero.

<sup>g</sup>2 Officis

*praecipites feruntur, et ex minore in maius. Convenit huic loco illud Livii<sup>h</sup> qui de Republica Romana loquens. Nulla, inquit, unquam respublica nec maior nec sanctior, nec bonis exemplis ditior fuit, nec in quam tam sero avaritia luxuriaque immigrarint, nec ubi tantus ac tamdiu paupertati et parsimoniae honos fuerit, adeo quanto rerum minus, tanto minus cupiditatis erat. Nuper divitiae, avaritiam et abundantes voluptates desiderium per luxum atque libidinem pereundi perdendique omnia invexere. Haec ille. Fit autem ut homines primum desidia et ocio sese dedant, spacentur, labores aspernentur, amoena loca et voluptuaria perambulent, dormiant priusquam [f. 31r] somni cupido sit et cum nihil agant, nihil agendo, male agere discant. Ocio enim addicti capiuntur illicitis moribus, siquidem ocia Venus amat. Huius comes est luxus in victu. Nam sine Cerere et Baccho friget Venus, unde terra marique vescendi causa omnia exquiruntur, non samen non sitim operiuntur, et inde morbos nimia saturitate vel ocio concitatos, sequitur immatura mors.<sup>i</sup> Horum assecla est luxus in vestitu et ornatu,<sup>j</sup> qui adhibetur ut spectentur, ut placeant, et ut purpurata simia, dives divitias quoque foris ostentet. Haec talia sunt in clarissima luce versentur. Et vere ineptus sim si de his latius egero, tamen quod res est dico, nusquam frequentiora convivia, dissolutiora sodalitia, delitias, magnifica et opulenta quaeque reperiiri quam in emporiis: et in celebrioribus in maiore quantitate, ut eadem vincant Syracusanas mensas, superent attica bellaria et Corinthium luxum. Qui quidem luxus labefactat clarissimas civitates. Testis s/fit Roma, quae stetit et floruit cum servaret maiorum decreta, de non inferendis in urbem unguentis, odoribus peregrinis, auro, argento, et serico. At cum placuerunt odorum delitiae et vitiorum illecebrae et spretis maiorum decretis et [f 33v] veterum virtute, ingressum fecit Assyriis et Indis negotiatoribus, imbecilliores redditi sunt Romani, sensim defecit potentia, et exinanitae fuerunt eorum opes<sup>k</sup> Quod sentientes simili, ut retulimus, arte caeteras gentes delusere, ne victae rebellionem cogitarent. Deinde si sola patriae fertilitas, fructifera rerum omnium copia ad inertiam et voluptatem homines traducit, ut author est de Tyrrhenis Diodorus Siculus<sup>m</sup> qui priore virtute abiecta potui se atque ignaviae tradentes, haud iniuria partam maiorum suorum in bellis gloriam amisere. Si in huiusmodi patria admittamus mercatores qui omnium rerum abundantiam suppeditent, non intelligo quid sit aliud quam oleum camino addere. Quod si reipublicae nostrae contingat ager sterilis, iubebimus eius inhabitatores ingenia sua excolere: quemadmodum faciebant Corinthii, qui cum sterilem agrum haberent, ita ingenia sua excoluerunt, ut nusquam gentium tam ingeniosi artifices invenirentur: ut incertum sit magis negotiatoribus artificibus Corinthus admirationi fuerit. I nunc, et superbi in exteris mectoribus, et propter rerum omnium affluentiam quam invehunt (unde luxus et lerna malorum) et potentiam, aliis te*

<sup>h</sup> 1 Ab Urbe condita

<sup>i</sup> c. ne tales, de consec. dist. 5

<sup>j</sup> Plutarchus lib. de esu carnis

<sup>k</sup> Solynus caput 48 de Polybius st.

<sup>m</sup> Diodorus Siculus liber 10 caput 9

*foeliciorum puta [f. 34 r] falleris, probabit exitus acta. Reperies summas divitias initium esse extremae paupertatis, sicut extrema licentia, extremae servitutis principium est.<sup>n</sup> Omnis enim excessus verti penitus in contrarium consuevit. Quod axioma et in rebus naturalibus et in republica locum habet. Siquidem magna indigentia non nascitur ex magna inopia, sed ex magna copia, multis enim eget qui multa possidet.<sup>o</sup> Si divitiae multae sunt nec custodiantur, homo desidis et stulti nomen subit. Si custidiam adhibeas, quis custodiet ipsos custodes? Advocatus, medicus, villicus, oeconomus, cocus, ancillae, omnes furantur, et cum multae sunt opes, multi et qui comedunt eas.<sup>p</sup> Itaque nulla maior est poena, quam velle servare quod servari vix potest. Hoc autem sunt opes magnae. Deinde serio simul ad ioco addimus, quod ubi est rerum copia, eo ut plurimum advolant meretrices, at ubi meretrices, ibi intollerabilis luxus, cui illae occasionem maximam praebent, qui luxus non modo ut diximus, civitatem perdit, sed etiam infamem reddit, sicut Corinthus quae perpetuo sui infamia locum proverbio fecit. Processus autem rerum humanarum est, ubi ad summum pervenerint, rursus decidere et [f. 32v] omnia<sup>q</sup> retro sublapsa referri. Adeo nunquam anceps et subinde varians fortuna uno loco consistit, sed modo huc modo illuc volitat et cuncta peragrat. Luna in rerum natura cum ad plenam perfectionem pervenit, sensim minuitur, eousque autem augescit donec in summo gradu erat. In summa amplitudine diffusa, quia, luce lucet aliena sive mutuatitia,<sup>r</sup> deficit paulatim et quasi in nihilum redigitur, sit enim tenebrosa. At tenebrae, quia privatio sunt, nihil sunt, tenebras enim Deus non creavit. Ex quo rursus aliud argumentum sumitur, licet hic alieno loco, civitatem scilicet fundatam super populo et nationibus exteris, diu stare non posse, cum sint aliena et mutuatitia auxilia. Sed illuc unde abii, redeo. Vides in rereum natura, quoniam saepius, ut inquit ille,<sup>s</sup> ventias agitatur ingens pinus et celsae graviore casu decidunt turres feriuntque summos fulmina montes, et ut ait Psalmista,<sup>t</sup> montes tangit et fumigant. Humiles vero casae aut in vallibus sitae, non timent procellas, non laeduntur fulmine, nec in eas vis maior saevire potest: quae in excelso constitutas civitates de statu deiicit: Roma ex primis olim orta initiis; caput mundi effecta defecit, et quae saepius de victis hostiis triumpharat victisque insultarat, deinceps vincentibus colla subdidit. Notum ex historiis quid perpessa sit a Totila rege Gothorum. Et nostra memoria quid passa sit, pontificalem obtinente sedem Clemente septimo, expugnata auspiciis Caroli ducis Borbonii. Praeterea tam ex summis divitiis et nimia abundantia, quam inopia, oriuntur seditiones,<sup>u</sup> fieri enim non potest divitias in civitate esse in eodem gradu cum virtute.*

---

<sup>n</sup>Plato 8 de Republica

<sup>o</sup>Xenophon in Oecon.

<sup>p</sup>eccl. caput 5.

<sup>q</sup>....

<sup>r</sup>Cicero in somnio Scipionis

<sup>s</sup>Horatius in Odis.

<sup>t</sup>Psalm 103 et 143

<sup>u</sup>Plato Dialogus 4 de Republica

*Postquam enim divitiae incipiunt esse honori, et eas gloria imperium potentia sequuntur, haebescit virtus. Nam cum innocentia pro malevolentia ducitur, paupertas probro habetur; et ut ait Socrates,<sup>v</sup> difficilis est divitium familiaritas, cum nihil praeter divitias laudent et in ore habeant. Ad haec potentiores, ut ait Xenophon,<sup>y</sup> illiberale ducunt magistratum pertimescere, quo facto authoritas quae Senatus pecularis semper fuit in omni republica bene instituta, diu stare nequit, qua imminuta aut sublata mox sensim ea respublica labefactabitur tandemque evertetur. Si enim obedire maximu est bonum tum in republica, tum etiam militiae et domi, nemini dubium est quin deprimere aut despicere magistratum, maximum sit malum omnium pene malorum causa. Inopes autem non ferentes superbiam et despectum ditiorum, vel propter divitias eis invidentes, siquidem invidia ex opulentia oritur<sup>z</sup> inhiant bonis locupletum, iidem iidem insidiantur, et magnum pauperies opprobrium iubet quidvis et facere et pati, unde minima oblata occasione, saevit animis ignobile vulgus, agit hostiliter, tumultuatur, locupletiores invadit, cogitans non habere se quod perdet, nec posse secum peius agi quam antea agebatur, ex praeda locupletius futurum. Unde seditio per quam res aximae dissipantur.<sup>a</sup> Expedit ergo cives omnes esse mediocriter tantum divites, quales sunt in republica nostra opificum. Quod etiam vult Socrates apud Platonem,<sup>b</sup> et ipse Plato.<sup>c</sup> In quocunque inquit, hominum coetu, nec inopia nec divitiae sunt, ibi iustissimi mores aderunt, neque enim ibi contumelia, neque iniuria locum habet. Et illas esse optimas leges putandum est, inquit Diodorus Siculus,<sup>d</sup> quibus non divites, sed honesti et prudentes homines fiant. Et rursus Plato.<sup>e</sup> Optimus, inquit, legislator volet cives suos foelices et probos esse quae simul necessario ferme fieri solent. Divites autem valde simulque probos esse impossibile. Divites, vocans Plato, qui pauci e [ff 36r] multis pecunias plurimas possident quas etiam posset malus quilibet possidere. Quod si ita est, dicit se nunquam concessurum divitem revera esse foelicem nisi etiam bonus sit. Fieri autem non posse ut divitiis aliquis simul praestet et probitate. Dives enim ut plurimum vel iniquus vel iniqui haeres. Recte itaque asseritur, admodum divites, bonos viros non esse. Quod si boni non sunt, foelices quoque non erunt. Legum autem sanctio huc respicit, ut foelicissimi cives sint, et maxime inter se amici. Quapropter Imperatores, quibus curae erat virtus et aequitas, quia vix fit ut in civitate admodum divites vel extreme inopes boni sunt, et civitas in qua regent ingentes divitiae iuxta et summa egestas, mutuis iniuriis contentionibusque vexetur: tanquam utriusque terminum stauentes, noluerunt patrimonio ditiores mercimonium execere, ut inter mediocris fortunae mercatores et plebeios facilius esse temendi*

---

<sup>v</sup>4 de Republica

<sup>y</sup>De Republica Lacedaemoniensium

<sup>z</sup>Sallustius in bellum Catilinarum et Plato 4 de Republica

<sup>a</sup>Iustinus liber 8 Plato De Legibus

<sup>b</sup>4 De Republica

<sup>c</sup>caput 3 de Legibus

<sup>d</sup>Liber 2 caput 5

<sup>e</sup>5 De Legibus

*vendendique commercium.<sup>f</sup> Simili ratione legislator, civium aequalitati modum praescribens, favore quodam permisit ut negotiator excusetur a muneribus,<sup>g</sup> sed si locuples factus in eadem quantitatea negociationis perseverarit: teneatur muneribus.<sup>h</sup> Ita favor ille [f 34v] pirat, ne procedatur in infinitum.<sup>i</sup> Sunt enim in omnibus rebus certi fines, ultra quos nequit consistere rectum. Si quilibet opifex cum dulcemsobolem alere potest ut nihil ei defit cum aedicula et officina bene instructa, erit profecto foelix iudicandus. Nam vivitur exiguo melius, natura beatos omnibus esse dedit, si quis cognoverit uti, et ut ait ille.<sup>k</sup>*

*Pauper enim non est cui rerum suppetit usus, et cui fatis adiicitur quod operetur. Nec aestimatione censemus, verum victu et cultu terminatur pecuniae modus.<sup>l</sup> Itaque illa respublica, de qua modo diximus, infoelix et miseranda, divitiarum gloria fluxa atque fragilis est, haec vero respublica foelix. Nec moveat te quod pecuniae sint nervi belli,<sup>m</sup> quibus indiget civitas. Sufficit enim civitati si mediocre aerarium publicum habet. Illud namque existimandum est, singulos cives cum tempus exigit, opem civitati periclitanti allatuos, singulorum vero omnium facultates et opes, ut ait Cicero, divitiae et thesaurus sunt civitatis. Quare Iustinianus Imperator praeponebatur publica privatis, etiam cum diminutione immodici imperii sui quastus, sollicitus fuit aeditis constitutioni- [f 35r]bus procurare, ut subiectos locupletes haberet, existimans hoc imperio et fisco satis esse.<sup>n</sup> Certe quod Traianus de fisco principis, quem scitissime lienem vocabat, idem non absurde de aerario publico dici potest. Nam ut liene crescente reliqui artus et membra tabescunt, ita fisco principis vel aerario turgente civitatis corpus una cum membris languescit et intermoritur. Et ut lien modicus vegetat in corpore membra et auget robur, sic fiscus vel aerarium moderata nec exuberantia, conservant corpus civitatis. Ubi existit amplum aerarium publicum quid fit? Numi saepius inutiliter consumuntur in aedificationibus, in parandis novis rebus, in conferendis largis donis, et in aliis modis, qui alioqui melius collocarentur, si tenuius esset aerarium. Adhoc princeps certiorfactus ampli aerarii pronior est in novas exactiones indicendo, quibus amplum illud aerarium pene exhaustur, hi et similes sunt fructus ampli aerarii. Sed quaerendo urgeas, quod si civitas ve regio, bello atrociter agitetur: Unde parari possit tantae pecuniae vis qua bellum administretur, nisi ex mercatura omnigeni generis, quae cives opulentissimos reddit, et aerarium mire auget? Cum in respublica opificum [f 37v] mediocriter tantum divites reperiantur. Aut igitur admittendam promiscue omnem negociationem: aut*

---

<sup>f</sup> liber 3 caput de commercio et mercatura

<sup>g</sup> 1.5 negotia ver. na remu. ff de iure immunitatis (?)

<sup>h</sup> d. liber 5 \* negotiat. ff de iure immu.

<sup>i</sup> c. cum in mult. de refer. liber 6. & liber fidei.com. si quis ff de leg. 3

<sup>k</sup> Horatius

<sup>l</sup> Cicero paradoxa 6.

<sup>m</sup> Tacitus, Annales liber 18

<sup>n</sup> Novellae ut Iudic. ne quoque suffrag. Sextus Aureli in vita Constantini Claudi Julianii

alias p<sup>rae</sup> inopia cum hostibus bellum geri et armis contendi non posse: cum non quaeant crita pecunias haec agi.<sup>o</sup> Cui respondeo, bellum non metuere Rempublicam opificum, sed ut modo demostrabimus satis tutam esse ac munitam. Si tamen contingat bellum inferri, mediocres divitias sufficere stupendio militum, commeatui, et iis quae bello usi sunt, quandoquidem non in multitudine pugnantium stipendio, sed potius in paucorum robore, virtutibus et firma in deo victoria consistat.<sup>p</sup> Est hoc sacrorum eloquiorum mirabile et verum, populum Israëliticum non potuisse ab hostibus suis superari prostrarique, quamdiu non recessit a cultu domini Dei sui.<sup>q</sup> Cur enim Antiochum passus est Deus, locupletissimum et religiosissimum intrare, contaminare, et diripere? cum Antea Heliodorum simile tentantem tam misere flagellis excepisset, tamque turpi ignomia eieisset.<sup>r</sup> Testatur scriptura sacra,<sup>s</sup> causam fuisse peccata, quibus filii Israëlitici ea tempestate iram Dei in se procuraverant. Alioqui nisi contigisset eos multis peccatis esse involutos, [f 38r] instar Heliodori reportaturum fuisse suaे temeritatis praemia. Siquidem gentem non propter locum, sed locum propter gentem Deum elegisse. Eodem modo si bellum aliis faciendum sit (siquidem ex iusta caussa, nec enim alias iure gentium bella in usum recepta sunt<sup>t</sup>) satis praesidii erit in paucis morigeris, peritis et belli cultoribus, qui primum militent pecunia aerarii. Ea labante paulatim ad singuloram facultates deveniatur. Necesse enim ut virium aequo modo, ab iis conferatur de quorum salute igitur, qui vero conferendo non sufficient, ipsi militent et opera sua, quod alii pecunia, persolvant. Haec sola bella cum delecto agmine prospere succedunt, nisi sese ob peccata averterit(?) alienaritque Deus. Experimentis namque compertum est, quamdiu Israëlitici in viis domini ambularunt, aut ira domini

in misericordiam conversa est: pugnasse Deum pro iis ut minima manu ingentes exercitus profligarent,<sup>v</sup> et ut in pauca conferam, praeliis uterentur secundis, nec ullum detrimentum acciperent. Deus enim illorum odit iniquitatem.<sup>x</sup> Ita certe et nunc fore considendum est, cum manus domini non sit attenuata nec imminuta. Non est igitur foelici nostrae reipublicae ad [f 38v] bellum necessaria opulentia, nec belli pretestu, cum tot sint eius incommoda, in nostra republica attmitenda. Quod etiam exemplo Pii Quinti Pontificis Maximi qui nuper praeposterae prudentiae foelicitatem Reipublicae in maximarum facultatum copia locantium aperte illusit, confirmari potest. Cum enim promulgato edicto Pontificio de expellendis de Roma famosis meretricibus quarum numerus et petulantia iam olim eo creverat, ut egerias urbis domos, ac vias publicas occupantes exterternorum oculos in urbem adventantium graviter

<sup>o</sup>oportet Novella ut Iudic. sine quoque suffrag.

<sup>p</sup>Mach. caput 2 et 3 et (?) sal. 19 61

<sup>q</sup>Judith 5. 2. Macchabeeën

<sup>r</sup>2. Machabeeën 3

<sup>s</sup>2. Machabeeën 5

<sup>t</sup>\*ius autem Inst. de iure naturale (?) gentium et civium

<sup>v</sup>Machabeeën 2 caput 8 et Iudicu. caput 7

<sup>x</sup>d.capt 5 Judith

*offenderent: Romanorum plerique magna vi contenderunt ne huiusmodi mulieres urbe extruderentur quod civitas ipsa infinitae pecuniae*

*iacuturae singulis annis factura esset illarum discessu quae conducendis dominibus et splendidis sumptibus non mediocriter civitatis augebant divitias: Sapientissime respondit multo maiora bona, virtute, morum ac vitae honestate, proventura esse, quibus damna illa (si modo damna dicenda sunt) possent sacriri; si ex illa mortalium abigeretur. Quare immodicam illam meretricum multitudinem, Itidem et nos ex usu Reipublicae neuticam esse iudicamus, ut accessu mercatorum quibus cives paula-[f. 39r]tim miscentur et polluuntur, civitas ditescat. Durant enim illa opes, ut aranearum telae. Non dissimile huic est quod cuidam obijcienti praenominato Sanctissimo Pontifici, destructurum eum esse Curiam Romanam, quod resignationes beneficiorum simplices non admitteret: Respondit, minus malum esse Curiam destruere, quam cultum Dei negligere, et Christianam Republicam prodere. Sic usus, proh dolor, nos edocuit nusquam magis quam in communi mercatu, negligi cultum Dei, utinam falso dicerem Rempublicam prodi, ut satius sit civitate carere mercatorum praesertim barbarorum et suspectorum commercio, quam eorum additu et frequentatione immensam nancisci copiam: occasionem omnis peccati. Quod porro cladis et calamitatum reipublica causa est. Nam coelum ipsum petimus stultitia, neque per nostrum patimur scelus iracundia Iovem ponere fulmina. Nec quis nos culpet quasi meretricum personis mercatores comparemus. Absit: solummodo loquimur de malis gradium divitiarum et sordido sordibusve proximo quastu qui ex utrisque capit: haec esse reipublicae perpetuo usui futura: sed potis, ut canit Hesiodus, Mala lucri aequalia damni. Sunt autem mala lucra, non tantum quae iniuste acq(ui?)sita: sed etiam ea quae con-[f. 39v]tractu invito cum iis qui aliquo modo Rempublicam perturbare eive obesse valeant, comparata sunt, etiamsi diutius aliquando malum lateat, antequam emergat. Sed apud quosdam etiam viros doctos invaluit opinio foelicem esse civitatem quae constituta sit in summo gloriae fastigio, quaeque inter alias tantum caput exerat urbes, quantum lenta solent inter viburna cupresi. Sed quidam sic sentire aliud est quod Plato<sup>y</sup> conqueritur de omnibus rebus publicis. Respublicas nullo instituto, sed fortuna quadam vivere. Est enim haec gloria popularis vana et ficta, donum fortunae, cum ex virtute non*

*proveniant: Ideoque posita non tam in nostris consiliis, quam in fortanae temeritate.<sup>z</sup> At in quo tandem gloriabuntur? an in multitudine exterorum? quidnam hoc aliud quam alienis coloribus adornatam Rempublicam, quod faciunt informes corniculae alij de se risum movere. Quod si gloriandum est de locupletibus negotiatoribus: longe certe magis gloriandum, sicut et veteres gloriati sunt, de eximiis artificibus. Quem unquam mercatorem vidisti propter mercaturam scriptis celebratum? At multos reperis propter articia encomiis et libris commendatos. In [f. 40r] manu artificium opera laudabuntur, inquit*

---

<sup>y</sup>Ad Diogenem epistola 7

<sup>z</sup>Cicero in Lælio

*Sapiens.<sup>a</sup> Exemplo sint Daedalus ingenio fabrae celeberrimus artis, qui meruit ut ex sua excellentia, adagio, clara opera, Daedala opera appellarentur, eo quod Labyrinthum opus portntosissimum humani ingenii, ubi Minotaurus includeretur, fabricavit: aliaque opera stupenda, multaque, fabrilia instrumenta primus invenerit. Apelles pictor eximius, qui picturae plurimum contulit, celebris multis operibus, et praesertim Venere quam moriens reliquit imperfectam. Bryax sculptor marmorarius, qui Mausoleum sepulchrum memoratissimum aedificavit, ita egregiis operibus, ut inter septem orbis miracula numeretur. Praxiteles multis nobilitatus multis operibus. Hippias Eleus Philosophus, ut tradunt Cicero et Quintilianus, non liberalium modo artium p[re]se scientiam ferens, sed earum quas Graeci moechanicas vocant, ut et vestem et annulum, crepidasque, ac omnia quae serebat, manufaceret. Miis, qui claruit argento celando. Parrhasius et Xenxis pictores celeberrimi et clarissimi. Pasiteles, egregius sculptor. Sostratus architectus, qui turrim excitavit in insula Pharo. Spintharus nobilis architectus Corinthius, qui templum Delphicum [f. 40v] aedicavit, Theodorus sculptor et architectus, qui primus docuit ferrum fundere, statuamque ferream fecit. Arachne non loco neque origine gentis, sed arte clara, quae de quae de lanaficio ausa est cum Pallade certare, quam Dea pene victa et irata, instantum animi dolorem compulit, ut illa se laqueo suffocaverit<sup>b</sup>. Archimedes Geometricae ac syderalis scientiae consultissimus testimonio, Livii, Plinii, et Plutarchi, qui velut Deus terrenus moechanico artificio sphera[m] vitream fecit, in qua mira conversatione dissimili motus circulares visebantur. Cui etiam cochleas quas dicunt Aegypticas, ad divertendum aquas invenit et multis in orbis partibus, egerias res fabricatus est. Et infiniti alii omnes generis artifices, qui doctorum scriptorum monumentis celebrati, aeternam sui reliquerunt memoriam. At emporium, inquiunt, memorabile et celebre sit per orbem terrarum. An ignorant nec unquam de ullo perrenam esse sermonem vel gloriam, sed obrui hominum interitu et oblivione posteritatis extingui? Omnia fert aetas. Melius Hesiodus<sup>d</sup>, qui celebritatis, gloriae, et nobilitas, solum Deum causam constituit, sicut et ipse causa est, quod alta cadant, obscuri f. 41r] ra conspicua fiant, et rursus sese extollentia deprimantur.*

" reia mèn gar sriaeirea de sriaoutachaleô ei  
reia d'ariksèlom minuthei kai adèlom aeksei  
reia d' t'ithunei skolion kai agènora karfei  
Zeus hupsisremetès hos hupertata dômata vaiae "

*Exhibit[us] nobis exemplum Deus, in civitatibus potentissimis et mercurialibus, ut in urbe Hierosolymitana, in qua erat regia sedes constituta et templum domini, cuius portas passus est confringi,*

---

<sup>a</sup>Eccel 9

<sup>b</sup>Ovidius 6 Metamorfoesen

<sup>c</sup>Diodorus Siculus liber 6 caput 9

<sup>d</sup>Vergilius Ecloga 9

dirui a Chaldaeis et flammis aboleri, populum autem captum in Babyloniam duci<sup>e</sup>. Idem evenit superbae Babyloni, quae una hora spoliata fuit tantis divitiis, quam lamentabantur negotiatores terrae quoniam merces eorum nemo emeret amplius<sup>f</sup> Idem accidit Tyro, quae tantopere gloriabatur interitu Hierosolymorum. Nam cum haec iam potentissima esset, utpote ad quam omnes negotiatores cum mercibus suis confluabant, ita eam Deus male perdidit, ut nulla eius relinquerentur vestigia. Hic itaque rursus evincitur emporia non esse diuterna. Nihil in rebus mortalium est perpetuum, sed quamadmodum omnia sub con concavo Lunae sunt, participant materiam, formam et privationem [f. 41v] et ob eam ipsam privationem sunt in continuo fluxu, ut dicebat Heraclitus, ita in republicae et civitates tempore concidunt, et alio transferuntur, et sub perpetuo motu consistunt, ruuntque vel in peius vel in melius<sup>g</sup>. Nunc ad nostra tempora deveniamus, quam in iis deploratur a Iulio Pelug episcopo Numburgensi<sup>h</sup> status Germaniae, cuius imperium diu per aliquot secula floruit, cum nunc solo Imperio Germania nobilis sit. Ubi nunc Lilium, decus et gloria Franciae? fere flos exarvit ille. Ubi Morini? quorum virtutem Julius Caesar in his inferioribus regionibus bellum gerens, expertus est antequam eos domaret, quia postremi venerunt sub Romanorum potestatem, et rursus cum rebellione facta et renovato bello, sibi denuo subiecisset. Hos Carolus quintus eius nominis, piae memoriae, cum Flandris ditati essent rapinis, dum nimium suae confidunt fortitudini, delevit, et eorum urbem licet antiquissimam solo aequavit, ut nulla hodie eius supersint vestigia, non secus quam olim destructa fuit Troia. Cuius nihil nomen restat. Sed ô funestam commemorationem. Quam cito quae summe elata sunt, fortuna volubilis deprimit et deiicit, et eo quidem pericolosius quo facilius [f. 42r] et celerius, quae enim ascenderunt in arduum verticem cum cadunt facile velocem patiuntur ruinam propter altitudinem. Clarum est hoc in rerum natura, exempli causa, in arboribus: magnae arbores diu crescunt una tamen hora extirpatur, etsi contingat cadere, uno momento in terram decidunt. Clarius in cursu aequae. Velocissimus enim aquae motus est, qui fit ex maiore altitudine in aequali spacio<sup>i</sup>. Et nos quidem labimur more fluentis aequae. Potest hoc doceri de summis viris, quorum vitae laudem fortuna parvo temporis momento labefactat, ex summo gradu in infimum deiicit: idque maiore eorum periculo et incomparabiliore iactura: quo conspectior et altior erat gradus. Taceo./: Antiochum de quo in libris Machabaeorum et alios eiusdem sarinae. Docent nos sacrae literae de Nabuchodnosore<sup>k</sup>, cuius potentia tanta erat: ut comparetur arbori quae ad coelum usque pertingebat: cuius folia songe pulcherrima et fructus omnium uberrimus, quo saginabatur et pinguescebat quicquid erat animalium in cuius frondibus et ramis omne volucrum genus nidificabat: et hunc tantum, et primum monarcham tanta gloria elatum, horrendo spectaculo et exemplo

---

<sup>e</sup>Daniël 1

<sup>f</sup>Apocalyps 20 Esaiae 20 Hiere. 51

<sup>g</sup>I. proponeb. in si. ff de iud. Aute. de nu alie & ut autm

<sup>h</sup>liber de republica Germ.

<sup>i</sup>Card. liber I ? caput 6 de varie. rer.

*Deus [f. 42v] ultus est.*

*Sed cur vetera proferimus potius quam recentia. Legimus Parisiis gladio ocubnisse Ludovicum a Luxemburgo Sanctopoli comitem magistrum equitum, quem vulgus Gallicum, Connestabilem Franciae appellat: (qui ibi summus est gradus honoris) propter conceptas in regem et regnum Franciae prodiciones. Accepimus Northumbriae ducem, primum a rege, propter conceptam proditionem interiisse. Thomam vero Morum, non ob facinora, sed religionis ergo, virum celebrem et eruditione clarum, regni Angliae Cancellarium (qui ibi magistratus praecipuus est) capite mulctatum. Et haec pluraque in Franciae et Angliae regnis. In Italia, paucissimis ab hinc annis de diversis Cardinalibus et privatis et publice ultimum est supplicium sumptum, attonito, et maxime admirante populo horrendum ac memorabile spectaculum, insolensque instabilis fortunae sursum deorsum omnia agitantis ludibrium. Clarum est id non modo in summis viris, sed et in gentibus: adeo ut uno casu, quarundam memoria extincta sit, ut de Morinis, de quibus modo diximus. Rursus in Pictis, qui medii constituti inter Anglos et Scotos genus hominum [f. 43r] acre et bellicosum ad nominis usque interitum conciderunt, oppresi a Scotis tenente regnum Cerveto rege Scotiae secundo<sup>l</sup>. Idem de Phyllis populis supra Garamantes, corpore firmis. Qui interiere a Nasamonibus capti, neque quicquam praeter opinionem de vestigio nominis sui, Phylli reliquerunt<sup>l</sup>. Licet nec foelicius cum civitatibus in summa potentia collocatis, summis divitiis et gloria superbis actum esse, etiam emporiis celeberrimis. Ubi nunc Sydon antequam a Persis caperetur maritimorum urbium*

*maxima<sup>m</sup>? Ubi Tyrus omnigeni generis mercibus clarissima? Non satis constat: adeo claritatem rebus adimunt tempora. Et nos diuturnam quaerimus in saeculo gloriam, quam potentissimae illae civitates retinere non potuerunt?*

*Carthago urbs Africae, cuius tanta fuit potentia, ut sibi de ea dicenti, Salustius iudicaret satius silere, quam pauca dicere, aemula Romani Imperii, a stirpe eversa est a Scipione, Africano minore. Romanum Imperium longe omnium potentissimum, quod divisum iri Daniel cap. 2<sup>k</sup> praedixerat, ad summam tenuitatem ex immensa et vasta mole redactum est, [f. 43v] ut nunc tantum intra Germania limites consistat. Corinthus totius Graeciae emporium locupletissimum frequentatum a negocioribus potentissimis et ditissimis ita extinctum fuit a Romanis, ut eius vix vestigium relinqueretur, teste Cicero-ne<sup>o</sup>. Aeginam Megaram Piraeum oppida et emporia quodam tempore florentissima: prostrata et diruta ante oculos suos vidisse iacere, quaeritur Servius Sulpitius<sup>p</sup>. Sed quorsum haec omnia? Nimirum ut doceam infoelicem esse eam Rempublicam quae erecta est ad summi fastigia culminis, quae infinitis*

---

<sup>k</sup>caput remit. 23 q. 5<sup>l</sup> et Daniël 2.4.5 2. Machabaeën 9

<sup>l</sup>Hector Boethius in ...? Scot.

<sup>l</sup>Solynus in Polyhistor caput 30

<sup>m</sup>Pomponius Mela liber I caput 12

<sup>o</sup>in oratione contra Rus. 2

*divitiis et opibus abundat, et quae summa gloria et potentia se beatam praedicat. Arduum enim eodem loci potentiam et concordiam esse, at ubi non est concordia: fit ut res maxima colligatae discindantur: Et quia omnia summa vergunt ad lapsum, quoque altiorem rerum verticem ascenderunt, eo gravius, perniciosius, et periculosius cadunt. Ideo autem periculosius et perniciosius, quia improviso velociterque cadunt. At velocius motus sicut in corpore humano, sic in republica periculosissimi sunt, magnam civibus iniicientes trepidationem, ut solent subita mala vel fortissimo cuique esse terrori. Siquidem [f. 44r] omne subitaneum et violentum est natura inimicum<sup>q</sup>. Et Socrates<sup>r</sup> quidem respondet ea ratione seditionem primum incidere, quia omne genitum corruptioni obnoxium est. Ideoque nec constitutam quidem Rempublicam manere praesertim in excessu posse, sed semper desiderare variari et in aliam formam mutari, non secus quam masculus foeminam aut foemina masculum appetit. Et sicut in utroque est vis inobediens, imperiosa libido et insatiabilis, nisi ratione et virtute vis illa concupiscibilis dometur, ita Imperia si virtute et ratione non reguntur, sed fortuna, gloria, potentia, opibus, et divitiis, nihil est quod eorum corruptionem in aliud impedit, sed temporis successu cito et facile labuntur, quia in excesso constituta cum perpetuo moveatur, ut dictum est, semper crescere aut decrescere coguntur<sup>s</sup>, et quia ut inquit ille<sup>t</sup>, Fato potentiae raro sempiterna. Non est ergo foelix ille respublica, quae summe dives potens, vel summe gloriosa est, utpote leviter stabilita, sed potius ea in qua omnia sunt mediocra: ut in republica consistente in opere manuum, quia virtus consistit in mediocritate, omnis autem excessus vitium est. Sed virtute duce comite fortuna, [f. 44v] civitates vestustate reflorescunt, virtus enim nec eripi nec surripi potest unquam neque naufragio neque incendio amittitur, neque tempestate neque temporum permutatione mutatur, qua proditae sunt, solae sunt divites, solae enim possident res et fructuosas et sempiternas, et denique succeſſione perennes efficiuntur. Sed ne in his longiores simus, restat alia ratio cur quidam foelix emporium existiment. Ideo scilicet quod in eo, magno numero negotiatores exteri consideant, quodque frequens et populosum sit. At nec ista ratione posse foelicem dici Rempublicam arbitror, sed vice versa foelicem ubi non sit multitudo sed paucitas et unitas. Socrates apud Platonem<sup>v</sup> dicit nullum perniciosius civitati malum esse quam quod eam dividit, et ex una plures facit, nec melius quicquam eo quod ipsam vincit simul et unam efficit, ut eisdem civitatis et eorum qui in civitate sunt casibus, cives aeque gestiant ac doleant quandoquidem unitas concordiam, dualita, ut ita dicam, discordiam inducit<sup>x</sup>. Idem Socrates augendae<sup>y</sup> civitatis modum praescribens eatenus vult augeri,*

---

<sup>p</sup>2. caput epistola liber 4

<sup>q</sup>Philo de mundo r.2 de republica

<sup>r</sup>2 de republica

<sup>s</sup>c. nihil tale de consec dist. 5

<sup>t</sup>Tacitus liber 3 Annales et Eccle. caput 10 vers. Ois(?) potentia

<sup>v</sup>5 de republica

<sup>x</sup>c. in ampi(?) 7 q.1

<sup>y</sup>dialogus 4 de republica

quatenus una permaneat. At cum primum unitas perdi posse videtur, non esse ulterius augendam, ut [f. 45r] neque populosa nimis neque vacua sit civitas, sed mediocris. Ubi enim multitudo, ibi confusio et chaos, nimia enim diversitas gravem confusionem inducit<sup>z</sup>. Confusio vero pater incertitudinis, incertitudo similis tenebris vel privationi<sup>a</sup>. Unum verum principium est certitudinis et pater luminum. Fructus confusionis, quod nusquam peccatur, licentius quam ubi est confusio. Nam in confuso non est reperire authorem facinoris. At in republica opificum, licet multi sint numero, quia tamen inter eos est ordo, qui est unum in pluribus et repugnat confusioni, non peccatur impune, cum quilibet in alterius oculis versetur. Rursus multitudo est instabilis, nec enim facile potest sepieternum esse quod ex pluribus constitutum est<sup>b</sup>: est quoque contra naturam, patet hoc in morte vel corruptione quae est unius in plura dissolutio. Unitas vero est secundum naturam<sup>c</sup>, quod liquet ex generatione quae maxime est naturalis, cum sit multorum in unum coitio. Deinde est perpetua, stabilis, et conservans alioqui peritura. Nam quae est causa cur latronum et hominum improbissimorum societas et communio non dissolvatur? Experti sunt quidam suo [f. 45v] malo nostris temporibus, testantur quoque et idem veteres. Isocrates loquens de Lacedaemoniis, ait<sup>d</sup>, eos exercuisse artem rapiendi et depraedandi, quodque aliis urbibus difficillimum erat malum, id sibi omnium commodissimum putasse, et suas respublicas ita constitutas rexisse pro suo arbitratu, ut nemo propter unanimitatem et concordiam eos praedicare magis possit atque latrones, qui simul ac spoliarunt quampiam in mare iuxta praecipitant: aliasque id genus sceleratos nebulones. Illi enim ita seipsis concordis, alios ita perdunt. Rursus Triballos, inquit<sup>e</sup>, quos omnes unanimis esse ferunt ut nullos mortalium alios, perdere tamen non solum confines atque vicinos, sed et alios quotquot accedere potuerunt. Haec ille. Refert Cicero de Bargulo Illyrico latrone<sup>f</sup> qui propter unitatem inter suos, magnas opes adeptus est. Idem refert de Viriaco praedone Lusitano cui exercitus Romani Imperatores aliquando cesserunt. Tanta est vis unitatis ut etiam eorum qui maleficio et scelere pascuntur, opes firmet et augeat. Sed haec inquit quis, intelligetur de animorum unitate, nihil autem prohiberi quominus hominum sit multitudo, si modo sit [f. 46r] unitas animorum. fatemur ingenuem, multitudinem in qua sit ordo<sup>g</sup> et animorum unitas, eo ipso quod ad unitatem tendit, esse laudabilem. Sed qua in confusione hominum qualis est in emporio, vel potius qualem in eo desiderant potest esse unitas? Et quis potest in tanta multitudine ordo constituiri? Et ut maxime sit multitudo ordinata nec

---

<sup>z</sup>c. fin.ex. de rel. do.

<sup>a</sup>Genes. 1 in prin.

<sup>b</sup>2. de republica

<sup>c</sup>Aristoteles 7 Ethica

<sup>d</sup>In Panathenaikos

<sup>e</sup>In Panathenaikos

<sup>f</sup>2 Officis

<sup>g</sup>Prov. 14 Cantic. 6

*confusa, arbitrantur animorum unitatem reperiri inter tam diversos et exterros mercatores? Falluntur<sup>h</sup> Sunt enim dissimiles mores, dis(similes?) par genus, dissimilis lingua, diversae praerogativae, quibus alii praे aliis sunt dotati. Dissimilitudo mater irae et odii<sup>i</sup> et ubi non aequo iure omnes censemur (quod dissensionum causa est) instabilis est societas. Cui melius credas hac in Catilinae, qui ipse apud Romanos seditionis author fuit. Hic asserit<sup>j</sup> raram esse inter dissimiles animos benevolentiae et charitatis consensionem. Praestantior ergo nostra Respublica opificum, in qua est mediocris hominum multitudo et animorum unitas: Exemplo sit Sparta quae omnium una urbium infrequens, hominibus et viribus in Graecia et nomine claruit<sup>k</sup>. Praestat eadem ratione paucos exterros negociatores civitate donare, quia multitudo numerosa nihil [f. 46v] habet honestum,<sup>m</sup> quia incolarum multitudo est pericolosa in omni populo: plebs namque ex diversa hominum colluvie collecta raro convenit, nec credendum est eodem studio eademque pietate teneri peregrinos qua indigenae tenentur, qui amorem in patriam velut feminarium a parentibus et maioribus cum materno lacte hauserunt. Non potest itaque esse concordia neque sincerus amor, inter diversrum nationum homines, praesertim si concurrat dissidium religionis. Hoc enim consequetur statim politiae civilis commotio non parva. Quandoquidem cum in aliquo populo mutatur religio, statim nascuntur seditiones, offensiones, simultates, factiones, turbae atque bella. Hac enim de causa Christus ait,<sup>n</sup> a parente filium, a matre filiam divelli. Et divus Paulus,<sup>o</sup> Quae inquit, participatio iustitiae cum iniquitate, aut quae societas luci ad tenebras, aut quae conventio Christi ad Belial, aut quae pars fideli cum infideli, quis autem consensus templo Dei cum idolis. At si haec ita sese habent, etiam interitura est huiusmodi civitas. Quae enim teste Cicerone<sup>p</sup> domus tam stabilis, qua tam firma civitas quae non odiis atque dissidiis possit everti. Ex praedictis quoque rationibus, sequitur [f. 47r] infirmam et minus tutam esse Rempublicam quae promiscue quosuis exterros negociatores admittit, et fovet inter proprios parietes exteras nationes, quae cum eius consilia sint expiscatae, eam hostis prodant, sese periculis substrahant, vel saltem eius arcana scrutatae fuerint quod non convenit<sup>q</sup>: ideoque nec haec Respublica stabilis est. Nihil enim stabile quod infidum, nec siulatum ullum potest esse diuturnum<sup>r</sup>. Deinde et illa ratione huiusmodi civitas minus tuta est, quod opibus auctae, plus inimici hostesque insiduntur, quam si minus opulenta esset. Quare inhabitatores insulae (quam nunc Minorica vocamus) ad Orientem spectantis, aureo, numo, argenteoque non utebantur: et ad insula*

<sup>h</sup>caput damna extia. de sum. trin.

<sup>i</sup>Plato in Euthry.

<sup>j</sup>Sallustius oratio in Cicerone

<sup>k</sup>Xenophon de Republica et Legibus Laced.

<sup>m</sup>Novellae de refer. sacr.pala et multit.

<sup>n</sup>Mattheus 10

<sup>o</sup>1 Corinthiens 6

<sup>p</sup>In Lelio

<sup>q</sup>liber 4 Caput de commercia et mercatoribus

<sup>r</sup>2 De Officiis

*adferri prohibebant, causam ascribentes, Geryonem Chrysaori filium, auro atque argento opulentissimum quondam ab Hercule bello expugnatum. Existimabant enim eo pacto, cum auro atque argento carerent, sese facile omnes vitae insidias evasuros.<sup>s</sup> Nec in eo falsi sunt, satis enim tristis huius temporis usu nos edocet, quod quaedam opulentiae civitates tutiores futurae erant, et adhuc essent ab iis quas inimici tenderant insidias, et tentarunt, licet a cogitationibus suis tunc temporis deciderint inanes, si mediocris tantum haberent [f. 47v] opes. Recenset Eutropius ex monumentis Suetonii Anno ab urbe condita 697. M. Licinium Crassum collegam Cn Pompeius Magni in consulatu secundo provinciam sortitum in Parthos, hominem inexplebilis cupiditatis, audita in Hierosolymis templi opulentia, quam Pompeius intactam reliquerat, in Palestinam divertisse, Hierosolyma adiisse, templum pervadisse, opes diripuisse. Et mirabantur olim Scytha, ut notat Justinus<sup>t</sup> Vexorem regem Aegyptum opulentem populi ducem stolidem adversus inopes Scythas bellum meditari, quod magis domi fuerit illi timendum (erat enim regi Aegypti potentia inenarrabilis) quod belli certamen anceps praemia victoria nulla, damna manifesta sint. Itaque Scytha non expectantes hostem, ulro prodiere obviam. Quos cum tanta celeritate venire rex didicisset, in fugam vertitur, et exercitu cum omni aparatu belli relicto, in regnum trepidus se recepit. Et erant ipsimet provocati, Aegyptum invasuri, ni ab Aegypto, paludos eos prohibiussent. Tradit Julius Caesar de Brittanis,<sup>v</sup> convocatis ad se undique mercatoribus, neque quae aut quantae nationes incolerent, neque quem usum belli haberent, aut quibus institutis uterentur, neque [f. 48r] qui essent ad maiorum navium multitudinem idonei portus, reperire potuisse. Eo quod mercatoribus qui illos adirent nihil quicquam praeter oram maritimam atque eas regiones quae sunt contram Galliam, notum esset. Poterant itaque Britanni facillime prodi Julio Cesari a mercatoribus qui eorum insulam aliquando adiissent, si eos penitus in insulam admisissent. Diversum longe iudicium est de republica constante opificibus, in qua est corporum et animorum unitas: in qua virtus quae non in multis appareat,<sup>x</sup> nulla simulatio mera sinceritas, nullum periculum. Sed cum civitas si unus advena merces aliunde advehit, inde plurimum emolumenti sentiat, an non plurimum negociationis accesione quastus et lucrum augebuntur? omne enim simile auget sibi simile secundum philosophos. Et posset certe plus commodi respublica consequi ex pluribus, si similes fuissent mercatores. Sed cum satis demonstratum sit esse dissimiles, etiam dissimilis erit ratio. Nec absurdum est inius rei diversos esse usus.*

*Nutritur vento, vento restinguitur ignis*

*Lenis alit flamas, grandior aura necat.*

*Itidem si unitas servari posset, proculdubio cum mercatoribus confluaret omnis bonorum [f. 48v] thesaurus, sed cum eosdem multos exoptent: ideoque dissiles et varios, s/fit ut concursuseorum*

---

<sup>s</sup>Diodorus Siculus liber 6 caput 5

<sup>t</sup>Liber 1 et 2

<sup>v</sup>4 de bello Gallico

<sup>x</sup>Novellae de referen. et sitque. var. et he. Obiectio

*multiplicatus: lucrum damno mixtum adferat. Non potest multitudo varietas aliqua esse bona, nisi quatenus in unum tendit: hoc autem fit per ordinem, qui non potest esse inter plura. Decor ergo et delectatio est in pluribus, quia in ordine est, non quia multitudo est. Et in celeberrimis eporiis minimus est ordo, maximaque, ut diximus, confusio. Unitas ergo ergo solum bonum,<sup>y</sup> multitudo vero mala, quia pene nihil immensum bonum est. Rursus quod unum, id etiam pulchrum et simplex est, multitudo enim ex pluribus constat. Quae si ita sunt, efficitur quo aliquid proprius accedit ad unitatem, eo immobilius<sup>z</sup>, simplicius, melius, pulchrius et perfectius esse. Deus unus et immutabilis est<sup>a</sup>, et divina, quia una sunt et immobilia et perpetua. Hinc et ius naturale immutabile dicitur.<sup>b</sup> Simplicia quoque compositis sunt perfectiora, ut Deus angelis, coelo, et animo, et animus corpore.<sup>c</sup> Et consequetur Respublica quae in suis opificibus nititur potissimum ut fundamento, quia ex paucioribus constat, et quia eadem de causa quod in ea pauciores sunt: facilius efficiuntur unum et [f. 49 r] convenient, est semper firma, perfectior, melior, pulchrior, eoque longe foeliciar ea republica, quae praefidio adventitio negotiatorum, et fundamento tam vario, multiplici, lubrico, et vacillanti innititur. Merito ergo Brugas foelices existimamus sicut et Gandavum, quod utraque suis potissimum artificiis nitatur ac consistat. Sed canemus receptui, vereor enim ne haec ipsa modum excesserint. Reliquum est ut paucis (ne agam de singulis) tradamus de artificibus pracepta admodum memoranda. Praemittimus autem deinceps tantum sermonem facturos de iis qui opicia municipalibus permissa legibus, exercent. Siquidem inutiles illi, de quibus supra locuti sumus artifices, nullo ordine censendi sunt. Primum sequemur Socratem apud Platonem<sup>d</sup> qui eos praecipit a teneris annis assuefaciendos esse sub egregiis magistris et doctis. Ita enim fieri totam artem imbibant, et egregii artifices evedant, quia singulas artes etiam moechanicas singuli homines longo tempore perfecte assequuntur, ut scilicet omnium quae in arte et circa arte et circa artem versantur rationes, percipiant. Si enim has probe callerent in singulis [ f. 49v] artibus, non modo errorem in opere commisum emendare scirent, sed indies nova subtilitate adinvenire, quia omne artificium incrementum recipit.<sup>f</sup> Latent enim infinita in rerum natura, et maxima pars eorum quae scimus, est minima eorum quae ignoramus teste philosopho. Sic inventio Musicae quae tantopere necessaria est: tantumque a Platone<sup>g</sup> et Pythagora laudata, sed et cytharae, ascribuntur Tubali moechanico opifici, easque fertur deprehendisse ex malleorum sonitu, ponderibus, mensuris,*

<sup>y</sup>Novella ut deter. fit. nu. cle. 1. vers. quia

<sup>z</sup>Plato liber de Uno

<sup>a</sup>caput hi qui. c. teneat. 1 q. 1 et Plato 2 de Republica

<sup>b</sup>sed nat. Inst. de iure na. ge. c. non est. dist. 6

<sup>c</sup>. solitae extra de ma. o. et obed.

<sup>d</sup>2 de Republica Diodorus Siculus liber 2

<sup>f</sup>I legat ornat? ff de leg.3

<sup>g</sup>Aristoteles 2 de republica et passim

*proportionibus et concentibus.<sup>h</sup> Deinde non tot fraudes commiterentur quibus imperiti artis quotidie artem mentiuntur. Ideo Plato asserit<sup>i</sup> eos qui praestantes viri in aliquo evasuri sint, ab ineunte statim pueritia oportere idipsum tam ludendo quam studendo in singulis ad illud convenientibus meditari. Nempe si quis peritus agricola aut aedificator futurus est, ludente oportet a prima aetate vel colere terram, vel pueriles quasdam domos aedicare. In omnibus enim ludendo conari debemus ut eo voluptates et cupiditates puerorum vertamus, quo eos tandem pervenire desideramus, utque ludi in studia sensim moresque convertantur.<sup>j</sup> Quia quisquis diu studiose aliquid imitatur, in eius transit [f. 50r] naturam, et ingenium, teste Salustio, ubi intenderis valet. Porro illud observandum est, ut pueri ex patre aut cognatis discat exercitia vitae. Immitantes in eo Aegyptios, apud eos nulli nisi a patribus aut cognatis propinquisve per manus traditum opus exercebant. Hac de causa ut nulla obstet docentis invidia, quominus opificia perfecte discant. Saepe enim artifices multa quae ad eorum artes, occultiora pertinent, non omnibus patefaciunt, et quae parvo tempore possent docere, longa tandem vix mora docent, cum verentur ne discipulus citius in artificem evadat, suumque paeceptorem superans, pudore afficiat. Memoriae proditum est Chaldaeorum pueros a patribus progeniem secutos didicisse philosophiam et sacros ritus, omni aliarum rerum cura posthabita. Ita, tum quia a teneris annis in ea doctrina erudiebantur, tum quia diutius in illa perseverabant, doctissimi evadebant.<sup>k</sup> Graeci contra vituperantur, quod non imitati parentum doctrinam, sed ipsi sua sponte, vanis, novis et inanibus studiis lucri causa conflictis incubuerunt.<sup>m</sup> Quapropter perinde in artificiis moechanicis atque in gravioribus disciplinis et Philosophia, Aegyptii observarunt ut scientia pa-[f 50v] tris vel cognitorum omni suspicione invidiae parentium in minores derivaret. Sec qua ratione consituimus ut a pueritia assuescant opificiis, eadem fit, quod singuli singula tantum articia debeat exercere<sup>n</sup>, nec mutare. Quemodmodum de Indis, Scribit Diodorus Siculus, non licuisse eiis exercitium mutare, necque enim fas esse militem agrum colere, aut philosophari artificem<sup>o</sup>: cum is qui plura vel imitando vel faciendo pertractat, in singulis tandem ita deficiat ut in nullo evadat egregius. Quamobrem Plato,<sup>p</sup> et apud eundem Socrates,<sup>q</sup> duas inquiunt, idem dumtaxat artes aut studia duo, nedum permulta magna que diligenter percipere et exercere non potest, ut scilicet, ut scilicet singulas artes ad summum prosequatur, eisque extremam manum imponat. Et vulgo dicitur: Pluribus intentus, minor est ad singula sensus. Et quia alterius opere, opus impeditur alterius. Socrates quoque habet eum pro iniusto, qui artificio, quod*

---

<sup>h</sup> Genesis 4

<sup>i</sup> 1 de legibus

<sup>j</sup> Plato 4 de Republica

<sup>l</sup> Diodorus Siculus liber 3 caput 8

<sup>m</sup> Diodorus Siculus liber 3 caput 8

<sup>n</sup> Diodorus Siculus 3 caput 3

<sup>o</sup> Diodorus Siculus liber 3 caput 10

<sup>p</sup> 8 de legibus

*edoctus est, non contentus, curiose inquirit vel immiscet se alieno, non secus quam si miles velit magistratum gerere, aut magistratus operis plebeis occupari. Debent enim singuli unum aliquod suum opus exercere, ut non multi, sed unus existant atque civitas tota una fiat, non multae.<sup>r</sup> [f. 51] Et haec sunt rationes quibus adipisci licet perfectos opifices: qui etiamsi ingruat fortuna aliqua tristis civitati, relinquentes patriam omnia secum ferent, scilicet artem, propter quam ubique terrarum grati excipientur, etiam apud Turcos et Indos. Ut autem ex perfectis perfectiores evadant, superest aliud remedium. Nam cum duobus constet respublica ut voluit Solon, poenis ut improbi puniantur, praemiis quibus seduli perfectique et novarum artium inventores vel adiutores afficiantur, non absurdum erit praemiis invitari, siquidem inciduntur ad ea studium omnes, quibus est propositus, honos, easque frequenter exercent. Quae vero nullo honore cresentur, apud quosque iacere solent. Prosequendi ergo honore vel praemio qui in his se strenue et industrie gesserunt. Idque Geometrica non Arithmetica proportione,<sup>s</sup> quod etiam caute faciendum, ne quid praeiudicii pariatur civitati. Hac ratione etiam avocabuntur a fraudibus in artificiis perpetrandis, non enim aequaeraent perculiare commodum artque artis perfectionem. Sublatis autem fraudibus facile evincetur, falsam esse opinionem quae inter tam multos inveteravit, etiam eos qui fama sapientiae et ingenii excellunt, putantium maiores in omnibus artibus, etiam iis quarum [f. 50v] vis est in faciendo et agendo, multis parasangis antevisisse, et laude superasse eos qui nostra aetate vivunt. Isti enim opinioni, solae imposturae in artibus commissae videntur in causam dedita, saltem praecipuam. Reperiuntur enim et his temporibus, clari homines, et iis ipsis in artibus summa laude digni, qui veteribus non modo aequandi sunt, sed etiam cum iis de principe loco certent, praeclaris suis operibus. Res enim perficitur, secundum diversum finem artificis. Si enim quaerit utilitatem, multa et facilia, si nobilitatem, perfecta et eximia operabitur. Hinc etiam consequitur quod paucis iis opus erit legibus, ubi enim non est transgressie, quorsum lex? At pulchrum civitati vel collegio paucas habere leges. Nulla enim (teste Socrate<sup>t</sup>) mala et turpis disciplinae maior potest conjectura, capi quam multis indigere iudicibus et legibus. Notum est enim illud. Ex malis moribus bonae leges natae sunt. Enimvero*

*unusquisque ad eas artes debet applicari, ad quas natura aptus est, ne quicquam faciat invita minerva, hoc est, repugnante vi ingenii. Ad aliquod autem opus, aliquem apto ineptove a natura ingenio proditum esse, ex eo intellegi potest,<sup>v</sup> quod ille [f. 52r] facile quicquam pecipit, hic difficile: ille si paucis brevibusque quid a quoquam didicerit, ex iis ipse plurimum adinveniat, hic autem cum plura didicerit, excogitaveritque paulo post obliviscitur: ex illi quidem corporis membra sufficienter menti subserviunt,*

---

<sup>q</sup>2 de republica et in Amator

<sup>r</sup>Plato de republica et Cicero 1 Tusculanae Disputationes

<sup>s</sup>Plato 6 de legibus

<sup>t</sup>4 de republica et Tacitus liber 3 Annales. Corruptissima republica plurimae leges

<sup>v</sup>Plato 5 de republica

*huiuc autem reluctantur. Necque alia praeter haec sunt, quibus hominem ad aliqua, natura bene institutum, a male institutum distinguas. Porro in omnibus opificiis debet civitas nostra habere peritos artifices, qui non modo indigenis, sed etiam exteris abunde satis fabricentur, quod aliquorsum vehant. Et quia quae hic latent ob exercitationis non adeo perfectae defectum, alicubi publica sunt, cum una quaeque natio quasdam artes magis excolat (ut enim apud Italiae urbes videre licet: arma Mediolani optima fiunt, panni Venetiis, clypei Mutinae, lintea tenuia Bononiae, apud Turcas tapeta, apud Persas chalybs apud Belgas speciosae et parvi sumptus picturae) hinc non inutile erit, si magistratus, sumpto publico emittat ingeniosos aliquot et aptos a natura, qui in singulis regionibus omnia secreta cuiusque opificii, ubi unum quodque maxime floret et in precio est, rimabuntur, penitus indagabunt et addiscent, hoc [ f. 51v] enim naturae humanae congruum est<sup>w</sup>:reversuri cum perdidicerint. Non dubito, sic haec quae dixi, concurrant in una civitate, quin sponte singulae fere nationes etiam ex remotis orbis partibus; ea frequentarent, causa comparandi singulae quae eveharent, et vendendi sua quae carius hic, quam in suis regionibus venderent. Sed quia artes operosae non sunt perpetuae, sed aegritudine captos aut senectute gravatos deserunt, expediet collegium artificium cuiusque generis, collata in commune stipe menstrua, curare prospici redditibus annuissui quodque generis opificibus, co (?) indigentibus, et si dives sit, eam in rem aedicare "nosokomeia kai*

*gerontokomeia": quibus omnibus in rebus pepulchre Brugae florent, quibus nihli restat quod optem, quas ut eas Deus Optimus Maximus, his periculis temporibus conservet incolumes in catholica religionis constantia, in qua praeter alias civitates facile eminent, depulsisque quantum fieri potuit eiusdem religionis hostibus, permansere. His autem ita constitutis, nemo sani iudicii non optaret summis votis in huiusmodi civitate vivere.*

*Finis*

---

<sup>w</sup>I legat. ornatr. v crs. quia de leg. 3 l. apud Iuli. ff de fidei. liber